
łagodnie przez wewnętrzne ...
enia námawia y kieruie, zupełną záś do ná-
enia się moc woli náſzey zoſtáwuie, ták: że mo-
złowiek (co w ſobie ſami uznaiemy) według
nienia wewnętrznego czynić, zgádzaiac ſie z
y łáſką Boſką, álbo nie cz...
mże do pokuty pobudkom, ...
liwić duſzy przez poświęce...
noże. Gdy tedy Wiárá wſ...
uie, oneż przez łáſkę Boſ...
onywaiąc, ták záraz y uſprá...
áko y Jákob Apoſtoł mowi: (o) *Abraham Ociec*
iżáli nie z uczynkow uſpráwiedliwiony ieſt, ofiárowa-
Syna ſwego Jzááka na Ołtarz? widźiſz iż wiárá
nie robiła z uczynkami iego, á z uczynkow wiárá ſię



enia námawia y kieruie, zupełną záś do ná-
enia się moc woli náſzey zoſtáwuie, ták: że mo-
łowiek (co w ſobie ſami uznaiemy) według
nienia wewnętrznego czynić, zgádzaiąc się z
y łáſką Boſką, álbo nie czynić, ſprzećiwiáiąc
mże do pokuty pobudkom, á zátym áni uſprá-
iwić duſzy przez poświęcenie iey wewnętrzne
noże. Gdy tedy Wiárá wſpolnie z uczynkami
uie, oneż przez łáſkę Boſką wſpoł czyniącą
nywaiąc, ták záraz y uſpráwiedliwia człowie-
áko y Jákob Apoſtoł mowi: (o) *Abraham Oćiec*
iżáli nie z uczynkow uſpráwiedliwiony ieſt, ofiàrowa-
Syna ſwego Izáaka na Ołtarz? widźiſz iż wiárá
nie robiła z uczynkami iego, á z uczynkow wiárá się

PAROCHIANUS OBEDIENS

SIVE

TRACTATUS

Bipartitus.

De duplici debito Parochianorum, audiendi ſcillicet MISSAM & VERBUM DEI, in ſua Parochia, ſaltim diebus DOMINICIS & FESTIS MAJORIBUS, ſtante commoditate.

REIMPRESSUS

Annô quô

FōrMa gregIs In ChrIſto obeDIente InCLarVIt 1761mô.

CRACOVIÆ

Typis Semin: Epiſcop. Academ; Diæceſani.

In Stemma Illustrissimi Præsulis
PATARENSIS.



I.

Rex Ponti, excubias Cervo commiserat olim:
Excubat ad Templum, pervigil iste, DEI.

II.

Ut Cervus nitidas currit sitibundus ad undas,
Salvandi Populi; PRÆSULIS una sitis.

III.

Aurea sũt(cernis)quæ gestat cornua Cervus,
Publicus hæc, toties igne probavit Amor.

Ad

Illustrissimum Excellentissimũ & Reverendissimum Dominũ.

D. FRANCISCUM

DE POTKANA

POTKANSKI

DEI & Apostolicæ Sedis Grátiâ Episcopum Patarensem; Suffraganeum; Canonicum, Vicarium in Spiritualibus; & Officialem Generalem Cracoviensem, Seminarii Episcopalis Academico-Diœcesani Protectorem, & Mecænatem Amplissimum.

PROPHASIS DEDICATORIA.

PArochianus Obediens, iterum atq; iterum, Lucem publicam videre cupiens, Illustrissimo Tuo ut consecretur Nomini; multa sunt

quæ

quæ ſibi juſtè ſuccenſent, & mihi bellè perſvadent motiva. Non potes enim non acceptarè, eô, quô conſvevisti clementi animo ad Te venientem, Tuis ſacris ſe ingerentem Manibus Parochianum, ANTISTES Sacrorum! Vicaria in hac florentiſſima & ampliſſima Diœceſi Optimi Paſtoris Poteſtas Ocelle & Pupilla, imò eundem gratam & acceptam à me Tibi fore victimam, haud ambigo; quia obedientem: cùm & DEO (ex ſenſu Gregorii & Auguſtini Eccleſiæ Doctorum) ditius nihil offeratur; bona voluntate. Si obedientiæ typus eſt, impigra, prompta, ac moræ impatiens voluntas, præcurrit iter in Tuum conſpectum, Parochiano meo eâ præpeti velocitate & ingenti agi

litate

litate, quâ etiam ſolertiſſima ingenia vincit, captum eorum excedens, quâ pro Bono Eccleſiæ & Patriæ præſtat; tot emenſis in Campo Lechico meritorum ſtadiis, rectegeſtorum Olympiis, omni ævo glorioſus CERVUS Tuus Gentilitius. Profectò: ut illum eminentia ſua non gravant cornua; quin quoties imminenti occurendum malo, quoties ab ovili Chriſti infenſos arcendos lupos aggreditur, ocyor, ventis & agente nimbos Eurô feratur, ſic in virtute Sanctæ obedientiæ, Parochiano meo, ad munia devotionis, pietatis, filialis amoris, & obſervantiæ Eccleſiæ ſuæ Paræcianæ deferenda, onus eximit omne, ad currendam viam mandatorum ejus; impigrum, prom-

ptum,

ptum, alacrem, & minimè tardum efficit. Permitte ergò Magne Præsul, ad Aram præcelsi Tui Nominis tenuitatis meæ vel tantillum litâsse, non dedignanter suscipe exilem hanc opellam, quæ tanquam tributarium debitæ venerationis & observantiæ vectigal, Tuæ benevolentiæ sinum appellat, ego Academico-Diæcesanum Episcopale Seminarium, ac me ipsum singulari Tuæ Protectioni commendans, DEUM Ter Optimũ Maximũ precari nõ desinam: ut digna Virtuti Tuæ, digna meritis digna Nomini, quàm altiores ad Infulas & ornandas in Senatu Curules, ex Thesauro Immensæ suæ Bonitatis à Rege Sæculorũ Imortali Tibi succedat ætas, & amplissimis

au-

auctus successib9 vive tam diu, donec Te magnitudo gestorum, singularitas operum, æternatura sacrorum memoria, faciat immortalem. Ita vovet.

Illustrissimæ Dominationis Vestræ.

Indignus coram Deo Exorator.

M. Stanislaus PATELSKI Seminar: Vice Præfectus.

PARO

Epiſtola Jlluſtriſſimi & Reverendiſſimi olim ANDREÆ SZOŁDRSKI Epiſcopi Poſnanienſis ad Clerum ſuæ Diæceſis data Anno Dñi 1647. de his Libris

Univerſis & Singulis Parochis Curatis, & non Curatis, totiq; Clero Diæceſis Poſnanienſis, Salutem in Domino.

VENERABILES FRATRES

TABESCERE *fecerat olim Prophetam zelus DEI; comederat zelus Domûs DEI: nec mirum; Nihil viſu audituq; miſerabilius, quàm abominatio deſolationis in loco ſancto, in eo præſertim, qui vitam & miſericordiam tribuit, qui naſcentes in regione umbræ mortis illuminat, qui denigratam ſuper carbones animarum faciem lavacro regenerationis emundat, de cujus plenitudine accipimus univerſi, verbô, qui Mater eſt. Erat ſanè quod Diviniſſimum Vatem angeret, illa Sancta Sanctorum negligi, ſive contemni potiùs á populo, qui quidquid victoriarum, honorum, benedictionum, calô propitiô obtinuerat, totum quantum erat, iis debebatur. Sed proludium noſtrorum temporum illud erat.*

Rari sunt etiam hodie, qui loco sancto, nimirum Ecclesiis Nostris Parochialibus, filialem affectum exhibeant. Imo qui maternos ipsius frequentent sinus, jam vel ingenii vilioris censurantur, vel statûs. Planè filii matris suæ, deserunt eam gratis, si non etiam oppugnant, dum quos ipsa primò nascentes exordiô, vitæ, cœlo, seu parturiit, seu signavit, hanc illi vel ignorantiâ condemnant, vel eludunt contemptu, vel quod pejus est odiô prosequuntur. Omnino sedet sola Civitas plena populô, facta est quasi vidua domina gentium. Viæ Sion lugent, eò quòd non sit, qui veniat ad solennitatem, omnes portæ ejus destructæ, sacerdotes ejus gementes, & ipsa oppressa amaritudine. Triticum nostrum cum paleis, vinum nostrum amarum, eloquium non dulce. Nemo est cui frangamus panem, nemo qui veniat ad fontem aquæ vivæ, nemo qui materna ubera contorqueat. Si mater est, ubi sunt filii? si domina, ubi servi? si magistra, ubi discipuli? Quorsum ovile sine armento? ad quid Pastores absq; ovibus? cur exedra, sine studio? Vita, sine animæ subsidio? Completum est in Nobis illud Prophetæ, duo fecit mala populus meus, me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, & foderunt sibi cisternas, dissipatas, quæ continere non valent aquas. Cùm enim passim, non nisi in Capellis Religiosorum, sivè Verbi Dei studium, sivè Sacramentorum ardor, sivè Sacro-sancti Sacrificii desiderium, ab omnibus quæritur, dolendum

dum

dum Nobis est quòd Parochiales Ecclesiæ, quæ ad tremendum Dei Tribunal, rationem commissi sibi gregis reddituræ sunt, novercare videntur, & tanquam alienum quid vel inops ab omnibus deseruntur. Quamobrem cùm incidisset in Manus Nostras Liber cui titulus Parochianus Obediens olim ad mentem Sanctissimi illius Præsulis lucidissimi purpurati Collegii Sideris, cui (teste gravissimo Bellarmino) non est inventus similis, qui conservaret legem Episcopalem, Caroli inquam Borromæi conscriptus, & qui potissimum ad supremam observantiæ Sacro-sancti Concilii Tridentini collimare videtur metam, non sine utilissimo argumenti usu faciendum duximus, ut idem liber ex utilitate totius Christiani populi, potissimum verò Diœcesis Nostræ (cui licèt indigni præpositi sumus) è Typographia iterum prodiret. Eum verò ita usui omnium & studio commendamus, uti ipsa materiei dignitas, & animarum necessitas postulat. Hinc quilibet vestrum agnoscet, quantum à recto conscientiæ tramite illi deviant, qui vestras Ecclesias non frequentant, vel saltem diebus Dominicis & Festis Sacrificio Missæ & Verbo Dei audiendo, non intersunt, exinde ad notitiam omnium promanabit, ad hæc non sine scrupulo conscientiæ teneri quemlibet, imo ipsi Religiosi intelligent, se ad ea populo insinuanda & docenda, omnino Sacro-sancto Ecclesiæ Dei præcepto necessitari. Valete.

AD PAROCHOS
ET PAROCHIANOS.

DOmini Pastores ac fideles Parochiani, statim ac Tractatum hunc diligenter conquisitum præ manibus habere potui, & subjectam materiam ejusque necessariam tractationem expendi, illicò è re Pastoria esse existimavi eum venire in lucem quoquo modo ipsomet Concionatore licet inscio, cùm enim pro comperto haberemus eum esse magnô DEI, pietatis & veritatis zelô & studiô, prudentiæ & doctrinæ sufficientia præditum, utpote sacræ Theologiæ Licentiatum in sæculo, & Regium Duaci Philosophiæ Professorem acutissimum & postmodum inter Patres Capucinos ejusdem Philosoph. & Theolog. in Conventu Leodiensi Lectorem & tanquam Cameraci stationarium Prædicatorem, sub tempus Concilii Provincialis ultimi Cameracensis publicè coram populo & præcipuis Cathedralis Ecclesiæ Dominis officiariis conciones hoc Tractatu contentas elocutum esse, immo duobus Episcopis Synodi illius tunc adhuc durantis visas & perlectas fuisse & placuisse, putavi vel inde satis superque constare posse de futura utilitate imbressionis quam quò citius potui prosequutus sum in favorem vestri & promotionem boni publici. Valete in Domino & mei in sacrificiis & precibus vestris memores estote.

Vester ex animo ROB. Abb. Henn.

LITERÆ IPSIUSMET PRÆDICATORIS AD ampliſſimum & expertiſſimum virum Dominum, D. ANDREAM TREVIGIUM, Sereniſſimæ ſuæ Celſitudinis à Conſiliis & Medicinæ Doctorem, has Conciones Parochiales ſcriptas videre ac legere vehementer deſiderantem.

AMpliſſime Domine. Benedicite mihi. *Veſtras accepimus quibus conciunculas noſtras quas de debito Parochianorum hoc anno 1631. Cameraci ſub tempora Concilii Provincialis ibidem celebrati in pleno conventu ſtationis ordinariæ cum Dei gratia pronunciavimus, vobis ad aliquot dies tranſmitti videndas & percurrendas deſiderabitis, ignoſcite ſi non ita promptè reſpondimus votis veſtris, viſum eſt enim nobis, ne tædium aliquod in lectione ipſarum concionum, prout jacebant, pateremini eas potiùs in formulam compendioſi cujuſdam tractatus redigere, ſimpliciſſimi tamen & permodum quæſtiuncularum & ad eas reſponſionum collecti, ſic enim ſcrupuli, & dubia commodiùs enodantur & doctrina clariùs faciliuſq; comprehenditur: hæc igitur vobis transmitto, lectioni ac judicio veſtro plenè confido, addite, emendate, delete: Omnia mea veſtra ſunt, & quo-*

ni

niam semper vereri soleo ne aliquid insit quod vel tantillum Religiosam modestiam dedeceat: rogo vos de hoc me monere cum omni Christiana liberalitate libertateq; & lubentissimè quibuscunq; correctionibus vestris acquiescam. Scit enim Dominus quo zelo & fine de subjecto hoc pro suggestu sub illud Provinciale Concilium dixi urgentibus etiam me hortatu suo piissimo eruditissimis & primariis Ecclesiasticis viris. Ideo enim imprimis rem hanc tractavi in Parochia stationali ut obedirem Sacrosancto Conc. Trid. Item Bullæ Clementis Octavi qua nobis Regularibus arctè ex authoritate Apostolica præcipitur frequenter in concionibus & catechesibus nostris hortari & monere populum ad reverentiam Parochorum Missamq; eorum audiendam, diebus infra dicendis. Secundò, ut Divinam sacerrimamq; Sedis Apostolicæ, & Ecclesiæ Christi Domini Sponsæ authoritatem in hac temporum malignitate plebi fidelium suspiciendam reverendamq; curarem: insinuando quàm sapiat animam Catholicam Ecclesiaq; filiam, obedire simpliciter & cordialiter Summi Pontificis & Patris nostri sanctissimis decretis, statutis, Canonibus, ordinationibus, monitionibus, consiliis, hortamentis & desideriis, ea atiq; præponendo sine ulla hæsitatione quibuscunque aliis quorumvis hominum svasionibus contrariis. Tertiò, ut Reverendissimos Dominos Episcopos pro mea tenui parte juvarem in illa ipsa (quæ certè in Tridentino, ipsis imposita est ex

præ-

præcepto) cura monendi populum de suo ad Parochiam debito. Quartò. *Ut hujus obsequii exhibitione tentarem aliquatenus consolari Dominos Parochos super desolatione suarum Parochianorum meritò afflictissimos.* Quintò, *Ut pro mea conscientiæ exoneratione animabus idiotis ignotam sui debiti veritatem palam facerem, earumq; certiori directioni ac saluti consulerem.* Sextò, *ut maculam illam à nobis Religiosis omnibus propulsarem quod putemur ad nostrum proprium interesse attendentes avocare Parochianos à suis Parochiis & ad nostras Ecclesias attrahere contra Iura & Canones Ecclesiæ.* Septimò, *ut malam illam radicem secare satagerem modernam inquam sæcularium inobedientiam Ecclesiarum Parochialium desertivam & contemptivam. unde infallibiliter consequitur hodiernus (præsertim in Flandria nostra antehac alioqui tam Parochiana & devota) Dominorum Pastorum contemptus, doctissimorum licèt, & in Theologia graduatorum, moribusq; & vita exemplarium: ex quo contemptu deplorabili, tanta sensim pullulant scandala & incommoda ut R. P. Canisius Societatis IESU ad illud Evangelii.* Ego sum pastor bonus. *Meritò dixerit communis contemptus ac neglectus Pastorum. qui nunc passim irrepsit omnium ferè malorum hæresum ac Schismatum fontem & fomitem præbet* Octavò, *Deniq; ut ex anino promovere conarer gloriam Domini qui tunc maximè à suis fidelibus honorari*

cre-


credendus est, cùm ei humiliter obeditur, & sanctissima ejus voluntas (quæ per Ecclesiæ Romanæ sacras ordinationes innotescit & exprimitur) sicut in cælo & in terra adimpletur: ad quod ut fideles congruentiùs inducerentur conciones istas edisserui, & in hanc formulam vobis lubentiùs & distinctiùs legendas collegi ac modò mitto, quantocyus tamen mihi certa manu remittendas cum vestra bona venia.

AMPLISSIME DOMINE.

Tuus in Domino F. B. C. I.




Reim



REIMPRIMATUR

M. STANISLAUS MAMCZYNSKI J. U. D. & Professor CANONICUS Cathedrali Cracoviensis, Universitatis Cracoviensis PROCANCELLARIUS, JUDEX SURROGATUS.






APPROBATIO

PAROCHIANUS OBEDIENS Duaci Impressus apud Ioannem Serrurier, & à Doctoribus Catholicis approbatus cum sanam & utilem doctrinam contineat iterum typis mandari potest datum Roth. in Palatio Archiepis. die decima septima Maij 1634.

Petrus Acarie Theologus Roth. Eccles. Vic. Generalis.





APPROBATIO

BIpartius hic Tractatus, cui titulus est. PAROCHIANUS OBEDIENS, compositus per R. P. B. B. C. P. nihil habet, sanæ fidei contrarium. vel à bonis moribus alienum, sed potius zelosé simul ac dilucidè docet, quantam olim habuerint, & etiamnum habeant obligationem Christi Fideles ad frequentandam Ecclesiam suam Parochialem, tum ad Missam, tum etiam ad Verbum DEI in ea audiendum Dominicis saltem diebus, majoribusq; Festis.

Itaque cum scopus præsentis Tractatus, non alius sit quàm ut Matri Ecclesiæ debita reverentia ac obedientia præstetur, populusque ad officium suum, & ad antiquam ac laudibilem consvetudinem revocetur, dignus omninò videtur qui prælo committatur, ut in lucem emissus ab omnibus legatur. Actum Duaci die 8. Augusti. 1633.

GEORGIUS COLVENFRIUS S. *Theol. Doct: ejusdem Regius Ordinariusq; Professor Collegiatæ Ecclesiæ S. Petri Præpositus & Canonicus, Duacensis Universitatis Cancellarius, & Librorum Censor.*

THEODORUS VAN COVVERDEN, *S. Th. Doct. ejusdemq; in Alma Universitate Duacena Regius ac Ordinar. Profess.*



CENSURA.

PAROCHIANUS iste OBEDIENS veterem & fugitivam avorum nostrorum consvetudinem firmis argumentis retrahere, id est, multorum pia vota implere conatur. Nec frustra fortassis esset, si homines tàm caslidè quæ sunt JESU CHRISTI, quam e & sua diligerent.

Interim Libellus doctrina, pietate, prudentia plenus est, & videri ac lucem videre meretur. Lovanii iij. Id. Febr. cIɔ. Iɔc XXXIII.

LIB. FROMONDUS.
S. Th. Doct. & Profess.
Ordinar. Libror. Censor
Archiepiscopalis.





CANON Conc. Tridentini, de audiendo VERBO DEI. *Sess.* 24. De reformatione *Cap.* 4.

Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ intereſſe, ubi commodè id fieri poteſt, ad audiendum VERBUM DEI.





CANON ejuſdem Conc: Trid. *Seſſ.* 22. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ.

Doceantq́; populum, quis ſit, & à quo potiſſimùm proveniat ſanctiſſimi hujus Sacrificii tam pretioſus ac cæleſtis fructus. Moneant etiam eundem populum, ut frequenter ad ſuas PAROCHIAS ſaltem DIEBUS DOMINICIS, & majoribus FESTIS accedant.




PRÆLIMINARIA QUÆSITA.
De
Parocho & Parochia

Q. 1. *Quid nomine Parochi indicetur:* R. cum Barb. de Off: Par. p. 1. c. 1. apud Ethnicos eos dictos *Parochos*, qui legatis publicè Romam missis victui necessaria suppeditabant. Apud Christianos verò eos dici Parochos, qui Episcopi authoritate Ecclesiis Præfecti, Divini Verbi, & Sacramentorum pabulum ad pascendas animas subministrant. Alio nomine Parochus dici solet *Plebanus* à Plebe, vel populo. cujus curam gerit C. *scriptum est.* de Elect. Solet etiam dici *Rector* à regimine, quod in subditos exercet. C. 1. de capell. Monach. cap. 3. de vita, & honestate Clericorum. Item *Curatus* à cura, quam ex officio in commissos sibi habet. Barb. de potest. parochi, p. 1. n. 11. Item *Pastor* ab ovibus, quas pascendas suscepit. Item *Sacerdos proprius* ab officio, quod potestate Ecclesiastica ipsi soli respectu horum subditorum est collatum. in cap. *Omnis utriusq; sexûs.* de pænit & remiss. Item *Paræcus* ab incolatu sibi designati domicilii. L. pupillus, ff. de verborum significatione. §. Incola.

Q. 2.

Q. 2. *Quid dicatur Parochia?* ℟. Parochia proprie est locus, in qua degit populus alicui Ecclesiæ deputatus, ac certis finibus limitatus Ægid. Bellam. Conf. 38. n. 8. apud Barb. cit. Constituitur non minus quàm decem domibus, distinctis, & familiis. C. Unio. 10. q. 3. limitatur verò sic, ut nec ipsi in alia, nec alteri in ipsa quidquam agere liceat. Calcan. Conf. 34. ex n. 10. apud Bellamer. cit. A Parochia dicitur Ecclesia Parochialis. Bellam. loc. cit.

Q. 3. *Quæ requirantur ad constituendam Ecclesiam Parochialem?* ℟. 4. esse requisita; primum est potestas fori pœnitentialis. 2. Locus certis finibus constitutus. 3. Ut Parochus curam exerceat nomine suo. 4. Ut suo nomine singulariter, & non cum aliis ad regimen admittatur. Rota Cur. Rom. Decis. 52. à n. 1. usque ad 19. Unde sepultura, jus ad decimas, asservatio Sanctissimi, non probant Ecclesiam Parochialem, nisi præsumptivè. Ecclesia Parochialis est beneficium Curatum, non tamen vicissim. Ut constituatur, requiritur authoritas Episcopi, cujus est eam designare. C. Nullus omnino. XVI. q. 7. Si plures sint Ecclesiæ Parocho designatæ, una dicitur *Mater*, reliquæ *Filiales*.



PAROCHIANUS OBEDIENS.

SIVE TRACTATUS DE VERBO DEI

Audiendo in Parochia ſua diebus Dominicis & Majoribus Feſtis.

Q. 1. *AN Parochiani debeant audire verbum Dei in ſua Parochia?*

℟. Quod ſic, qualiter autem & quibus diebus hoc debitum ſit implendum jam jam dicemus.

Q. 2. *An Parochiani omnes teneantur in Parochia ſua audire concionem, ſaltem omnibus diebus Dominicis & ſolemnibus Feſtis ſi habeant commoditatem?*

℟. Quod ſic: idque ex jure communi nouo, vltimi; Oecumenici Concil. Trident. ſeſſ. 24. de reform. ca. 4. per expreſſiſſimum Canonem.

Q. 3. *Quis eſt ille Canon Tridentini obligans ad concionem parochialem dictis diebus?*

RESP. Quod ſit hic dicta ſeſſione 24. de

verbo ad verbum: *Moneatq; Episcopus populum diligenter teneri vnumquemque parochiæ suæ interesse* vbi *id commodè fieri potest ad audiendum verbum Dei.*

Q. 4. An quia statim initio jam citati Canonis ponitur hæc vox (Moneat) sit putādum (sicuti quidam visus est velle objicere quod parochianis, audire verbum Dei in parochia, dictis diebus, stante cōmoditate, sit solùm consilii meræ libertatis?

℟. Quod non: ratio est, quia hæc per Episcopos adhibenda monitio, non est de re relicta optioni populi, sed de re omninò obligatoria ex virtute verbi *Teneri.* Præterea etiam si abesset verbum *Teneri:* ista consequentia non valet. Monendus est aliquis de re aliqua, ergo non obligatur ad eam. Paulus Actorum cap. 20. valedicendo fidelibus quibusdam; loquebatur eis de necessariis ad salutem, ad quæ ipsi obligabantur; & tamē ibi adhibebat vocem *Monendi. Non cessavi.* inquit, *cum lachrymis monens vnūquemq; vestrûm.* Item Tit. 2. *Hæc loquere,* inquit *& exhortare, nempe vt senes sobrii sint, sani in fide, anus similiter non criminatrices.* En monentem de obligatoriis. Conciones sacræ quid aliud sunt, quàm perpetuæ monitiones ad peccatores de parendo præceptis. ad quæ ipsi obligantur? vnde vir vel tenuiter Theologus statim aduerterit hæc inter se esse distinguenda: *Præcipiens: præceptum: obligatio: monens: monendus.*

Prœ-

Præcipiens eſt Concilium gnerale: Præceptum eſt Canon jam ſupra quæſito. 3. à nobis expreſſus: Obligatio eſt ipſum conſcientiæ vinculum: Monens ſive monitor de quo mentio in Canone ſupradicto, eſt ipſe Epiſcopus: Monendus autem, eſt ipſe populus Parochianus Cùm itaque Patres Concilii mandant vt Epiſcopus moneat, non volunt ſignificare, ut ipſe Epiſcopus præcipiat ſive ut aliquod de ea re præceptum condat, cùm ejuſmodi præceptum præſupponatur jam eſſe antea ab ipſo Concilio conditum: ſed ſolùm, ut diligenter per ſuas monitiones intimet populo ſuam öbligationē ad parendum præcepto ipſius Concilii, & curet ſeriò illud præceptum deduci ad praxim.

Q. 5. An verbum, Teneri, *in noſtro Canone poſito in quæſito. 3. importet obligationem præcepti, ſeu in conſcientia?*

R. Quod ſic, & quidem ita expreſsè vt de hoc nullatenus debeat dubitari.

Q. 6. Quomodo probari poteſt 1. vocem Teneri *importare obligationem ejuſmodi?*

RESP. Ex eo quod in materia obedientiæ Legum *Teneri & obligari* ſunt ſynonima: ſicut gladius & enſis porta & janua.

Q. 7. Quomodo idem probari poteſt 2do?

RESP. Per hoc inconveniens. Nam ſi demus vobis ex conniventia, aufferri à voce *Te-*

neri obligationem conſcientiæ: tunc peto, quod reſtabit ei ſignificatum proprium & genuinum? præſertim in hoc noſtro Canone? Quid inquam erit illud tam ſeriò, tam diligenter, tam neceſſariò (juxta mentem Concil. in Decreto de Reformatione) per Epiſcopos plebi inculcandum? hoc eſt quid importabitur tunc juxta ſenſum Patrũ, per vocem *Teneri* nudumnè tantùm conſilium? Nemo, ut puto, ſani judicii hoc dixerit: nã & eſt falſum & implicat contradictionem, aliquem teneri ad id quod eſt tantùm conſilii: eſſet enim reſpectu ejuſdem teneri & nõ teneri. Iam autem Practicabilia ad quæ facienda nos vrget Superior legitimus, oportet continere alterutrũ nudum ſcilicet conſilium monitionemque ſimplicem, aut abſolutè præceptum, eoque obligativum in conſcientia: cum igitur *Teneri* non ſit vox continens nudum conſilium, convincitur omninò continere verum præceptũ

Q. 8. Quomodo 3tiò probari poteſt idem, nimirũ in voce Teneri *importari veram præcepti obligationem?*

RESP. Sic poſſe probari. *Teneri & obligari*, ùt ante dicebamus ſunt ſynonima; continentq; pari ſignificato non nudum conſilium, ſed verè præceptum: ergo obligatio quam important, eſt præcepti propriè dicti & in conſcientia eſt effectus immediatus, neceſſarius &

reci

reciprocus respectu præcepti ex quo resultat: jam verò causa necessaria & effectus necessarius, inferunt se mutuò quo ad existentiam: proindeque ubicunque est vera obligatio, ibi quoque infallibiliter subest præceptum, sicut si dies est, etiam est sol lucens: si lunæ est eclipsis, etiam est interpositio terræ inter solem & lunam. Cur autem infallibiliter ex vera obligatione inferatur præceptum, ideò est quia obligatio non nascitur nisi ex præcepto, siue interim illud præceptum sit juris naturalis, sive positiui divini, vel humani: Extra hæc enim, nulla inveniri potest obligatio conscientiæ, sed mera libertas. At veró Canón Concil. supra dictus continet jus humanum Ecclesiasticum commune, novum, sive legem hic et ubique receptam ac promulgatam. Teste autem Diuo Thomâ 1. 2. q. 92. art. ult: legis proprium est obligare in conscientia; ergo hic Canon ut pote lex per vocem *Teneri* obligat in conscientia. Hoc autem facilè est exemplô declarare: Nam sicut funis seu vinculum materiale, ibi ligat bovem, ubi eum tenet & ipse bos ubi tenetur, ibi ligatur, verbi gratiâ in cornibus: ita vinculum præcepti spirituale, ibi ligat seu obligat hominem, vbi eum tenet, nempe in anima seu cōscientia. Vinculum autem illud conscientiæ, est ipsa præcepti obligatio, ergo illa obligatio est in cōscientia; In qua

enim

enim alia sui parte teneri & ligari posset creatura libera & rationalis & spiritualis quatenus talis, nisi in anima, spiritu, ratione, seu conscientiâ per vinculum legis? quod quidem vinculum propterea bestias ipsas ligare non potest, quia carent conscientiâ & ratione.

Q. 9. Quomodo 4to probari potest hanc eãdem vocem Teneri *obligare parochianos in conscientia?*

Resp. Posse idẽ præterea probari authoritate Eximiorum Dominorum Doctorum Universitatis Duacensis, qui omnes ibi supponunt præceptum, & per consequens, obligationem conscientiæ; & particulariter idem sentit Dominus Spagnolæus Doctor & Præpositus Congregationis Oratorii, qui nuper de hac ipsa certissima præcepti, (dequo agimus) obligatione, prolixam & solidam orationem habuit in consessu Doctorũ dictæ Duacensis Academiæ: imo præterea in suis ad summulam Cajetani *Annotationibus*, nuper Duaci impressis dictam obligationem Parochianorum veraciter elucidat: quas etiam Romam videndas misit, & placuit.

Q. 10. Quorum 5tò authoritate probari potest vocem Teneri, *à Conditoribus statutorũ usurpatam, continere obligationem præcepti?*

Resp. Idem probari authoritate omnium Doctorum Franciscanorum: nam Sanctus Bonaventura Cardinalis & Doctor Seraphicus, San-

Sancti præterea Antonius Padvanus, Bernardinus, Ludouicus, &c. Imo universus Ordo S. Francisci, ante quadringentos annos: cum præter illa præcepta formalia, quæ in regula sub verbo, *Præcipiendi per sanctam obedientiam*, continentur. attenderet esse quasdam alias ordinationes sub solo verbo *Teneri*, positas: nunquam ausus fuit aliter sumere vocem *Teneri*, quàm præceptivè & obligatoriè in conscientia, igitur sic sentiendum est indubiè de significato illius vocis in materia statutorum.

Q. 11. Quomodo 6to probatur vocem. Teneri. *in materia statutorum continere vim præcepti?*

Resp. Id probari posse præterea, & quidem peremptoriè, ex decisione super hoc facta in Concilio Viennensi per Clementem 5. in sua Clementina *Exiui* de verborum signif. libro quinto Clementinarum tit. 11. ubi dictus Sanctissimus Papa resolvit quod in Regula Minorum, ubicunque ponitur illa vox *Teneantur*, quantumuis scilicet nuda & sola, obtinet vim præcepti, & tanquam tale debere à toto Ordine seruari declarat: Et quamquam vox dicta fuerit posita in Regula Minorum à S. Francisco, dictante JESU CHRISTO, non autem ab ipso Concilio Viennensi, vel Clemente Papa, quia tamen Papa est supra omnes Ordines eorumque Regulas, ad eumq; pertinet eas in vero sensu explicare, & Fratrum Regu-

Regularium conſcientias in dubio de conſcientiæ obligatione, extra ſcrupulum ponere, dignatus eſt in dicto Concilio prædictam vocem, *Teneri*, explicare (conformiter utique ſenſui Curiæ Romanæ, ſtyloque ac uſui terminorum in Conciliis) præceptoriè & obligatoriè, & ut præceptum debere obſeruari de Patrum Concilii ſenſu, expoſuit. Ecce Concilium univerſale, & Sancta Sedes Apoſtolica, extunc, conſulta & rogata de genuina ſignificatione vocis *Teneri*, reſpondit & decidit, ut ſuprà. Quid igitur mirum, ſi eadem Sedes Apoſtolica in ſuo (alio Concilio Tridentino univerſali eodem ſuo ſtylo ac vocabulo, *Teneri*, utens) intelligenda ſit per idem ipsũ vocabulum expreſſiſſe vim præcepti? Itaq; indubiè dictus Canon ſupra Quæſito 3tio. poſitus ob vocem *Teneri*, obligat in conſcientia parochianos, inſtar ſcilicet aliorum omnium præceptorum: ideoque & ſub aliquo peccato, hoc enim eſt obligari ſub peccato, quod obligari in conſcientia: quod re vera commune eſt omni omninò præcepto.

Q. 12 Quid ſenſerit de ſenſu dicti Canonis Trident: & vi vocis Teneri, *S. Carolus Borromæus?*

Resp. Eamdem veram Parochianorum, audiendi in parochia verbi Dei, diebus Dominicis & majoribus *Feſtis* obligationem (ſi ſcilicet adſit commoditas) optimè probatam relin-

linqui, teſtimonio & prædicationibus, ſpeculi verorum Paſtorum S. Caroli Borromæi: qui fuit Nepos Pii quarti, & unus ex Cardinalibus Patribus Concil. Trid. Qui proinde probè novit quo zelo reformandi diſciplinam Eccleſiaſticam, quoque ſenſu ſacroſancta Synodus, cui ipſemet intererat. cujusque cum aliis Patribus ſanctiones & Canones concipiebat & juratus ſubſcribebat: nouit, inquam, quo zelo & ſenſu dicta Synodus intenderit *Teneri*, plebem ad verbum Dei parochiale, in dicto ſuo Canone ſupra Quæſito 3. à nobis hic expreſſo. Ipſe autem Canonem iſtum vocemq; *Teneri*, cum vera obligatione præceptoria intellexit; de qua ejus mente nemo dubitare poteſt, ſi duo quœdam attendat. Unum eſt: manifeſta ipſa diſtinctio quam adhibet circa hoc in literis ſuis Prouincialibus, inſertis in Concilio Provinciali Mediolanenſi ſexto; quas integre citabimus in poſteriore parte hujus noſtri Tractatus, ubi agemus ſeorſim de debito audiendi Miſſam parochiæ, nunc verò tantùm earum particulam ad præſens propoſitum noſtrum aſſumemus, quæ talis eſt. *Et nuper ſacra Tridentina Synodus Oecumenica, ab Epiſcopo fideles non ſolum hoc moneri voluit, ut frequenter ad proprias parochiales Eccleſias ſaltem Dominicis diebus Feſtisque majoribus accedant, ſed illud etiam diligenter oſtendit unumquemq;*

Tene.

Teneri. *ubi commodè fieri potest, parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei; ac proinde id præterea statuit, à Parochis, animarumvè Curatoribus inter Missarum solemnia, aliquid ex iis quæ in Missa leguntur exponi. & sanctissimi illius sacrificii mysterium aliquod explanari, plebes sibi commissas salutaribus verbis pasci, easq; doceri, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem.* Hactenus literæ. Ubi dũ S. ille Cardinalis dicit quòd sacrosancta Synodus *Non solùm moneri voluit* (scilicet parochianos de frequentatione propriæ parochiæ, loquendo de frequentatione generaliter) *sed illud etiam. diligenter, ostendit vnumquemque Teneri, &c.* (scilicet ad verbum Dei parochiale audiendum) dum inquam sic loquitur, satis ostendit differentiam esse, inter *Moneri absolutè, & teneri.* Et hoc. plus dicere & continere, quàm istud, nimirum certissimam obligationem: quam tamen non importat vox, moneri. Hæc enim duo longè diversa, *Synodus monet: & Synodus declarat & ostendit teneri.* Vnde licèt sit contenta simplici monitione, ubi igitur de frequẽtatione parochiæ in genere, quo ad qualiacunque officia quæ fiunt in parochiali Ecclesia: dum tamen eadem S. Synodus descẽdit determinatè ad verbum Dei, tum aliter se gerit, & *diligenter ostendit* (ait S Carolus) *vnumquemque Teneri.* Vnde etiam ex mente S. Caroli sancta Synodus plus impor-

importari vult in voce *Teneri*, quàm significatum nudæ monitionis aut consilii: alioqui non diceret *Non solùm moneri voluit sed diligenter ostendit teneri*: proinde debitum audiendi verbi Dei in parochianis non est debitum nudæ monitionis vel consilii, sed præcepti: non est optionis. sed vinculi: non est libertatis, sed necissitatis: non est de actu vel re indifferente, sed plebibus ex obligatione imposita. quod vel etiam hinc satis colligi potest, quod S. Carolus hunc ipsum Canonem de verbo Dei audiendo in parochia, in dictis literis suis vocet decretum, statim hæc subjungens: *His igitur ejusdem Tridentinæ Synodi decretis &c.* decretum autem de actu faciendo, obligat subditos ad illum, præsertim cũ intentionem suam obligandi exprimit per vocem *Teneri*.

Alterum quod supra monuimus attendi debere, ex quo facilè colligi possit vocem *Teneri* in dicto Canone, obligare parochianos in conscientia, etiam de mente S. Caroli, est ejus penè incredibile & indefatigabile studium, labor, anxietas: fervor, Zelus & quotidiana instantia, in reductione plebis ad parochias suas procuranda: Confestim enim post confirmata ab Avunculo ejus Pio 4. S. Concil. Trid. decreta, ipse velut exemplar Pastorum cæpit exemplari sollicitudine satagere ut populus intel-

intelligeret se teneri ad id de quo nunc tractamus, ut in propria Ecclesia Parochiali, verbum Dei diligenter perciperet, & quidem inter Missæ Parochialis solemnia. Immò ad id sollicitè faciendū suæ Provinciæ Coëpiscopus pressit, persvasit, induxit: secum profundè reputans, aurea illa dicti Canonis verba. *Moneatque Episcopus populum, diligenter vnumquemque teneri, &c.*) adse pertinere: *diligenter*, inquam, ut proinde in hoc ipso, quasi infinitam posuerit diligentiam. quia incredibili affectu, populi salutem diligebat: vox enim *diligenter* à diligendo deducitur. Cum itaque nobis constet de vera obligatione parochianorū, juxta mentem S. Caroli Cardinalis quā collegimus ex dictis, scriptis, & factis ejus, ut jam patuit. relinquitur in verbo *Teneri*, includi præceptum: & veram in conscientia obligationem resultare.

Q. 13. An & ubi Franciscus Suarez Societatis JESU, aliquid de hoc Canone Concilii Tridentini, & supra dicta voce Teneri, *scripserit?*

Resp. Quod pauculum quidpiam scripserit, idq; super 3. part. D. Thomæ, ad quæst. 87. art. 6. Disputatione verò sua 88. sect. 2. ex occasione Missæ parochialis.

Q. 14. Quæ sunt ipsissima verba Suaris loco jam citato posita?

℞. Hæc esse (supposito tamen Canone Tridenti-

dentini de verbo Dei á Parochianis audiendo, quem præallegat, & antea *Q.* 3. hujus tractatus expressimus) hæc inquam sunt ejus verba: *Et illa obligatio, si in rigore sumatur pro obligatione præcepti, non est absoluta, sed supposità commoditate, ut Concilium loquitur & doctrinæ necessitate, sine qua præceptum affirmativum non solet obligare, quando lex ipsa, tempus non determinat: ad audiendam enim concionem nullum hactenus est tempus lege præscriptum.*

Q. 15 An ex illis Suaris verbis, constet cũ nobiscum sentire: nimirum Canonem prædictum esse obligativum, & vocem Teneri, *includere veram præcepti obligationem?*

℟. Quod sic; nam exponit vocem *Teneri* supponendo eam continere obligationem in rigore præcepti quâ supposità cæteras Canonis seu statuti dictiones cursim glossat.

Q. 16 An Suarez hunc Canonem de obligatione Parochianorum audiendi verbi Dei in Parochiali Missa, bene glossauerit?

℟. Quod non: quod antequam ostendamus hic videtur interserenda Bulla confirmationis Concilii Trid: edita à SS. Domino N. Pio 4. saltem pro ea parte quâ huc facere videbitur.

Q. 17. Quid habeat dicta Bulla Pii 4. contra glossatores statutorum Concilii Tridentini edita Aanno 1563.

℟. Sic habere: *Ad vitandum præterea perver-*

sionem-

ſionem & confuſionem quæ oriri poteſt, ſi unicuique liceret, prout ei liberet in decretaConcilii, commentarios & interpretationes ſuas edere; Apoſtolicâ authoritate inhibemus omnibus tam Eccleſiaſticis perſonis cujuscumque ſint ordinis conditionis & gradûs: quàm laicis quocunque honore ac poteſtate præditis; Prælatis quidem ſub interdicti ingreſus Eccleſiæ: aliis ſverò quicunque fuerint, ſub excomonicationis latæ ſententiæ pœnis, ne quis audeat ſine authoritate noſtrâ ullos commentarios gloſſas, annotationes, ſcholia ullumvè omninò interpretationis genus ſuper ipſius Concilii decretis, quocunque modo edere aut quidquam quocunque nomine etiam ſub prætextu majoris decretorum corroborationis, aut executionis aliove quæſito colore ſtatuere. Si cui verò in eis aliquid obſcurè dictum & ſtatutum fuiſſe eamque ob cauſam, interpretatione aut deciſione aliqua egere viſum fuerit aſcédat ad locum quem Dominus elegit, ad Sedem videlicet Apoſtolicam omnium fidelium magiſtram cujus authoritatem etiam ipſa S. Synodus tam reverenter agnovit. Nos enim difficultates & controvetſias ſi quæ ex eis decretis ortæ fuerint nobis declarandas, & decidendas, quemadmodum ipſa quoque S. Synodus decrevit, reſervamus: parati ſicut ea merito de nobis confiſa eſt omniumProvinciarum neceſſitatibus

ea

ea ratione quæ nobis commodior visa fuerit providere: decernentes nihilominus irritum & inane si secus super his à quoqã quavis authoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Hactenus Bulla Pij 4.

Q. 18 An Suarez bene glossaverit decretum seu canonem Concilii supra à nobis Q. 3. expressum de audienda concione Parochiæ?

R. Quòd non, ut patebit examinando Suaris verba supra à nobis Q. 14. posita. Quamvis enim in sua illa brevicula glossa processerit supponendo per vocem *Teneri* importari obligationem præcepti in parochianis: tamen præmittens voculam *Si* visus est quasi voluisse de hoc dubitare, num scilicet illa obligatio esset præcepti cum tamen ut supra ostendimus Q. 8. nulla sit vera obligatio, nisi orta ex præcepto sive interim juris naturalis, sive post Divini humani, cumque Concilium Viennense declarârit in voce *Teneri*, contineri præceptum in Regula Minorum. Et certè sensus cummunis hominum perpendens Concilium Oecumenicũ Trident: loqui ibi de re gravissima nimirum de reformanda disciplina fidelium, statim hoc advetere potest, quid enim est *Teneri*? aut quâ alia magis propriâ ac efficaci voce potuisset S. Synodus suam obligandi intentionem exprimere: proinde Suarez malé dubitavit de mente S. Synodi.

Q. 19: An Suarez rectè prosequatur suam Canonis Tridentini glossam dicendo: ista præcepti obligatio non est absoluta, sed supposita commoditate?

℞. Quod sic: ea siquidem parte nil adulterat vel mutat de sensu & verbis Concilii: nam vero sic habetur in dicto Canone: *Vbi commodè fieri potest:* unde parochiani ob rationabilem causam legitimè impediti, non obligantur interesse concioni parochiali; sed viderit persona parochiana cùm se absentat an id fiat ex legitimo aut rationabili impedimento & num ea ex parte agat sincerè & bona fide cum Domino Deo suo, qui intuetur cor.

Q. 20 An Suarez glossando Canonem præfatum, rectè addat, non obligat. nisi supposita doctrinæ necessitate?

℞. Quod non: Ratio prima est: quia hoc addit de suo, Concilium enim id non habet. Ratio secunda est, quia esto verum esset hunc Canonem non obligare nisi in tempore necessitatis doctrinæ (quod tamen concedimus tantū gratis & loquendo ad hominē) adhuc plebs teneretur parochiam adire diebus à Concilio determinatis doctrinæ excipiendæ causa: quia præceptum & statutum illud sacrosanctæ Synodi respicit, non hanc vel illam personam, sed populum universum at verò in populo semper est necessitas doctrinæ præsertim illius quam SS. Synodus sess 5, cap. 2, vult continuò inculcari,

nem-

nempe ut doceantur de ſcitu neceſſariis ad ſalutem, de virtutibus & vitiis &c. Ratio tertia eſt quia (& utinam hoc benè expendiſſet Pater Suarez) neceſſitas, verbi Dei populo, dictis diebus, in parochiali Miſſa adminiſtrandi, non eſt ſolum ad docendum & erudiendum, (ne alioquin de Eccleſia fiat Academia) ſed inſuper & quidem principaliter ad convertendũ, ad terrendum, ad animandum, ad inflãmandum, ad commonendum, & eo zelo ac fervore animas peccatrices concutiendum ſancto Spiritu adjuvante, ut jactũ fideliter illud verbi divini ſemen, operetur timorem ſalutarem divinorum judiciorum, non minus in ſpeculativè doctis, quã in idiotis, ſatis enim obvium eſt, quod multi multa ſciunt, non ideò tamen ſanctius vivunt, quin ut plurimum, ſua ſcientia vanè inflati durefcunt, & evaneſcunt in præſumptionibus ſuis, ut proinde illis vel maximè, ſit neceſſarius Dei ſermo, vivus efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, quo feriantur in anima, vulnerentur in conſcientia rea humilientur in corde: quô jam parvuli facti, illuminentur à Spiritu Dei ut poſſint nunc dicere, in veritate Domine JESU verba vitæ æternæ habes, declaratio ſermonum tuorum illuminat & intellectũ dat parvulis: Beati qui audiunt verbum Dei & cuſtodiunt illud. Ratio quarta eſt: eſto neceſſitas doctrinæ & inſtructionis populis ſit unus ex

finibus à SS. Synodo intentis non tamen iste est solus finis. Unde licet tu parochiane, audiens in alieno templo concionem, esses ibidem sufficienter de necessariis instructus, non es tamen propterea liberatus & exemptus ab audiendo verbo Dei in Ecclesia tua parochiali: *Tum* ideo quod Sacrosanctum Concilium neminem ab ista obligatione excuset, si habet commoditatem *Tum* etiam quia, inquam, præter dictum illum finem doctrinæ necessariorum ad salutem, Patres Concilii. Trident intenderunt insuper finem alium sui præcepti, non minus sanè animabus & bono communi necessarium, nempe pulcherrimum illum ordinem debitæ ovium subjectionis ad suum ipsarum Pastorem intenderunt item bonum publicum spirituale per conservationem disciplinæ Ecclesiasticæ, quæ non parum in eo elucet, quod omnes *Parochianos sic in bono ordine & modestia statis diebus in propriâ Parochiali* Ecclesia congregari, adunari, simul orare communicare, sacris mysteriis adesse, Dominum adorare & ei concertatis veluti feruoribus adhærere, mirum in modum excitet, nutriat, foveatque mutuam inter se charitatem, & indubiè exemplo sit, ad imitandam in divinis pietatem Ratio quinta est quia certiùs sacrosancta Synodus per hunc Canonem ejusque(si parochianis suppetat commoditas) perpetuam dictis diebus obligationem ad verbum Dei parochiale,

voluit se ipsâ firmius assecurare de salute Parochiani cujuscunq ne videlicet verbi Dei pabulum dimittat ad quod ex SS Synodi decreto, obligationem habere se sentiat: voluit etiam cavere securitati conscientiæ Pastorum (quibus salutis ovium onus incumbit) faciendo per hanc in parochia comparandi obligationem, ut Pastoribus certiùs constare possit de conversatione singulorum si enim nulla penitus imposita esset ad parochiam pro verbo Dei obligatio, multi hic nec alibi illud audire curarent & frequenter facile à via mandatorum Dei deficerent & perirent:

Q. *21. An Pater Suarez rectè addat, ad audiendam enim Concionem nullum hactenus tempus est lege præscriptum?*

R. Quod non: hoc enim dicendo contradicit Oecumenico Concilio Trid. quod sess. 5. cap. 2. determinat tempus Concionis Parochialis, nēpe Dominicas & Festa solemnia. Ubi imposita præcepti obligatione Episcopis & Pastoribus prædicandi per se vel alios, mandat id fieri per hæc verba: *Diebus saltem Dominicis & Festis solemnibus, sibi commissas plebes pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis.* Iam verò supradicta obligatio audiendi verbum Dei ex ore Episcoporum & Pastorum, plebibus imposita sine dubio respicit & necessario refertur ad illos præscriptos dies, quibus illic tenentur plebibus

bibus sibi commissis prædicare, atqui tempus & dies qui illi determinatè præscribuntur sunt Domnicæ & Festa solemnia; est igitur aliquod ad audiendam in parochia concionem tempus lege præscriptū: & per consequens dictus Theologus malè glossavit hunc Canonem dicendo nullum hactenus tempus esse lege præscriptum.

Q. 22. An Pater Suarez per suam illam glossā non tantum quia glossa est, sed & quia Concilio contrariã incurrerit pœnam contentam in Bulla confirmationis dicti Concilii Tridentini quæ prohibet glossas super illius Decreta, sub pœna excommunicationis?

℟. Non esse meum de hac re judicare: ut omittam quod fortasse dictæ Bullæ tunc aut memor non fuerit sess: 5. c. 2. Tridentini Concilii, quo tempore id glossabat, non relegabat, & sic bona fide dixerit, quod dixit.

Q. 23 An Azorius aliquid scripserit de hoc statuto audiendæ Concionis?

℟. Quod suarum institutionum Moralium parte 1. l. 7. cap. 3 loquitur de hac materiâ, in hæc verba *Septimò quæritur: An saltē Divinā Concionem, quæ ad populum diebus Dominicis & Festis habetur, audire præcepto cogamur? Inde hæc quæstio movetur quod Tridentina Synodus sess. 24. c. 4. de reformatione ait. Moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemq́ parochiæ suæ interesse, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum verbum*

Dei

Dei. *Et Paludanus* 4. distinct 15. quæst. 5. A. 2. concl. 2. dicit *Est autem Ecclesiæ Conventus ad Missam & ad vesperas & ad sermonem quando fit in diebus festis, unde ad illum tenentur. Communis est sententia tali præcepto credentes non cogi: unde dicendum est Concilium cum ait (Ad audiendum verbum Dei) posse intelligi de sacris concionibus, vel de Evangelio quod in divino Missæ officio recitatur. Rursus docet Concilium Parochianos, si ad verbū Dei audiendum, aliquò se recipiant, oportere eos se ad suas parochias conferre, ubi id commode fieri potest: non tamen simpliciter & absolutè debere sacris concionibus interesse, sed in suis parochiis, ubi possunt id commodè facere. Item sess. 22. in decreto de observandis & evitandis in Celebratione: Missæ, ait Moneant Episcopi eundem populum ut frequenter, ad suas parochias saltem diebus Dominicis & Festis majoribus accedant. Ubi non dixit, cogant, jubeant. sed moneant.* Hæc Azorius:

Q. 24. An Pater Azorius servârit dictam Bulam Pii 4. probibentem, sub excommunicatione, glossas super Decreta Concilii Trid. saltim sine authoritate Papæ?

℞. Quod charitas quæ non cogitat malum, & nihil agit perperam meritò nos monet ut ab isto judicio supersedeamus, & istud iis ad quos spectat discutiendum, relinquamus.

Q. 25 An Pater Azorius hunc Canonem Tridentini de Verbo Dei audiendo in Parochia, benè glossârit? ℞.

℞. Quòd non: ut facilè erit videre discursum ejus Q. 23. positum per partes examinando *Primò* enim dicit communem esse sententiam, *Credentes non cogi* (ubi, *cogi*, est terminus. improprius positus pro *Teneri*) cũ Doctorum communis sententia sit contraria, nimirum *Teneri*, seu ut loquitur, *cogi* ut patuit ante Q. 9. 10. 11. Imò Conciliũ ita statuit videlicet unumquẽq teneri. Nisi fortè suam, & unius atquè alterius Regularis qui libenter sua ipsorum templa plebificarent, appellet sententiam communem. *Secundo* videns quod vox *Teneri* contineat præceptum, nec se poss , ex parte istius vocis ostendere Parochianos esse liberos à concione Parochiali : quid egit ? quæsivit effugiũ in glossando suo modo, hanc aliam vocem ejusdem Canonis, nempe *Verbum Dei*, omnino contra textum Concilii & Canonis intentionem. Ipse enim dicit per *Verbum Dei* sub disjunctione, indifferenter intelligi *Sacras Conciones*, vel *Evangelium quod recitatur vel cantatur in Missa* : cùm tamen id sit omnino falsum: ratio est, quia in toto illo sessionis 24. cap. nil agitur de Missa, & nec ulla quidem sit mentio de illa toto illo capite, sed solummodò agitur per totum, & quidem expressissimè de functione prædicationis, ut patet legentibus. *Tertiò* inconvenienter loquitur ; nam si Parochianus tenea-

neatur ad verbum Dei ut cantatur vel recitatur in Missæ officio, cur non similiter tenebitur audire Epistolam cũ sit verbum Dei, æque ac Evangelium nisi forte per sacras conciones, intelligat ipsas epistolas &tunc omnino exclusa maneret prædicatio cũ tamen de illa solâ agatur toto illo capi. *Quarto* colligimus ex hac Azorii glossa vocem *Teneri* importare veram præcepti obligationem: eam enim supponendo transit ad glossanda alia decreti verba *Quinto* hanc præcepti obligationem detorquet ad auditionem, Missæ, cùm per verbum Dei intelligat Evangeliũ in Missa cantatum vel recitatum, ergo etiã Epistolam, quæ & ipsa qouque est verbum Dei cantatũ vel recitatũ & hinc colligitur eum tenere, quod audire Missã parochialem sit præcepti, nã alioqui ridicula esset obligatio ista, ad audiendum cantari vel recitari in Missæ sacrificio Evangelium, sic ut parochiani liberè ante Evangelium abessent, & post Evaugeliũ discederent si vellent. Unde videtur Azorius plus concedere quam ab eo petatur, dũ vult verba sess. 24. cap. 4. continere præceptum obligans sive ad concionem, sive ad Missam parochiæ, cum utramque posse intelligi putet sub nomine verbi Dei. Interim falsissimumest eo loco Concilii per *Verbum Dei* posse intelligi Evangelium in Missa cantatum vel recitatum, unde mirum est quid Author ille animo versaret, cùm ita glossaret.

Q. 26. An Azorius benè prosequatur glossâ suam dicendo, Concilium Tridentinum dicto loco docere, quod Parochiani si eant aliquò ad Concionem, teneantur ire ad parochialem?

℞. Quòd non: Concilium enim non apponit in Canone suo voculam, (*Si*) loquitur enim absolutè & absque *si eant aliquò*: proindeque omnes ligat in conscientiâ: Azorius è contra omnes liberat: cum per suum (*Si*) liberæ cujusque optioni relinquat ire vel non ire ad concionem: Itaque hoc est Synodi veneranda Decreta misere alterare.

Q. 27. An Azorius rectè addat, Concilium in allegato Canone docere, Parochianos simpliciter & absolutè non debere audire concionem, sed in Parochiis suis?

Resp. Quòd non: sed è contra hoc esse pessimè & infideliter glossare, quod ut melius advertatur, consulendus est ipse Canon de verbo Dei audiendo, à nobis supra Quæsito 3. expressus, iterumque cum textu Azorii Quæsito 23tio positus: nam ibi sacrosancta Synodus simpliciter & absolutè obligat ad concionē stante commoditate: præterea ipse Azorius sui ipsius verbis, sibi ipsi contrariatur, penè in eadem periodo: quin & duæ ejus propositiones as interimunt; nam ipse loquens de parochiani ad audiendam Concionem Dominicis & solēnibus Festis, stante

sci-

ſcilicet commoditate eam audiendi, dicit ſecundum Canonem quem gloſſat, *Parochianos ſimpliciter & abſolute, non debere ſacris concionibus intereſſe ſed in ſus parochiis hoc eſt, oportere eos ſe ad ſuas parochias conferre, ubi id commodè fieri poteſt.* Quæ duæ propoſitiones ut ſe mutuò euertere oſtendantur, ſic poſſunt manente eodem ſenſu exprimi in forma, *Prior* quidem ſic: *ſimpliciter & abſolutè Parochianus non tenetur ad concionem.* Poſterior ſic, *Parochianus tamen tenetur ad concionem Parochiæ.* Ipſe ambas ponit ut veras, cũ tamen revera utravis illarum ſit vera, ſtatim inferat alteram falſam: itaque ſi prior ſit vera, poſterior erit falſa, & ex aduerſo ſi poſterior ſit vera, prior erit falſa. Nam negativè optimè proceditur à toto in modo ad partem, ſive ut alii dicerent à magis communi negato ad minus commune negatum: exempli gratiâ, non bibo aquam, ergo non bibo aquam fontanam. non habeo equum, ergo non habeo equum ferocem. ſimiliter per infallibilem conſequentiam ſequitur: Parochianus non tenetur ad concionem, ergo Parochianus non tenetur ad concionẽ Parochialem, idque juxta hanc maximam topicam: de quocumque negatur totum in modo de eodem negatur & pars in modo: vel de quocumque negatur magis commune, de eodem negatur & minus commune. Concio autem in genere eſt totum in modo

modo, & magis commune comparatione *Concionis Parochialis*. Si itaque hæc conclusio argumentationis nostræ, ergo, *non tenetur ad concionem Parochialem*, est vera: falsa erit ejus contradictoria, quæ erat propositio Azorii posterior, supra à nobis expressa, hæc videlicet *Parochianus tenetur ad concionem parochialem*. E contra, si posterior propositio Azorij hæc nempe: *Tenetur ad concionem parochiæ*, est vera: sequitur per locum à parte in modo ad totum: vel á minus communi ad magis commune, affirmatiuè, hæc conclusio vera: ergo tenetur ad concionem, absolutè scilicet & simpliciter loquendo, quâ existẽte vera, sequitur ulterius istam esse falsam, *Parochianus non tenetur ad concionem* cum sit ejus contradictoria: illa autem erat prior propositio Azorii prius à nobis expressa. Ex qua discussione, patet verum esse quod initio diximus, nimirum Azorium tam malè glossare dictum Conc. Tri. Canonem de Concione, ut & sensum Canonis euertat & sensum in meta contradictionis inuoluat At ne quis fortè dubitet num istæ duæ propositiones sint contradictoriæ *Parochianus tenetur ad concionem parochialem*. & *Parochianus non tenetur ad concionem parochialem*: quas jam nunc per legitimam consequentiam intulimus ex supra positis propositionibus Azorii *Respondeo* esse verè contradictorias, non autem subcon-

con-

trarias, licèt altera earum non sit universalis expresso signo universali: satis enim est sensu & significatione autambas, aut alteram esse universalem, & facilè posse exprimi signum, saltem in affirmativa, constat enim ex Canone sess. 24. c. 4. Omnem parochianum teneri ad concionem & proinde hæc universalis est vera: *Omnis parochianus tenetur ad concionem Parochialem* cujus contradictoria est hæc, *Parochianus non tenetur ad concionem parochialem*, ambæ autem: ut jam ostendimus, asseruntur ab Azorio, una quidem expressè, altera verò implicitè, quod satis est ut ejus glossam vehementer improbemus

Q. 28. Quid aliud adducat Azorius ad ostendendum Parochianos non obligari ad audiendum verbum Dei in parochia?

℞. Illum adducere per modum objectionis statutum Concilii Trid. sess. 22 in decreto de observandis & vitándis in celebratione Missæ quod est tale: *Moneant Episcopi eundem populum ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis & Festis majoribus accedant.* Azorii ergo ad hanc objectionem solutio est, Parochianos non teneri proinde ad concionem parochialem, quia (inquit) Concilium non dixit hic *Cogant, aut jubeant, sed moneant.* Quæ solutio partim claudicat, partim continet falsum. Claudicat, qui ex monitione adhibendâ, de faciendo aliquo actu, statim infert nullam esse

obli-

obligationem ad illum; cum potius è contrariò ut plurimum soleant moneri ii qui sunt obligati, ut scilicet satisfaciant suæ obligationi Sicuti ergo ex eo quod soleant filii moneri de honorandis Parentibus patre ac matre. non sequitur quod non sint ad id obligati. Ita & hic ex eo quod Parochiani debeant per Episcopos moneri de frequentanda parochia non benè infertur, quod ad id non teneantur, saltem quantum attinet ad concionem Sufficienter enim :Concilium decernit & declarat teneri sess. 24. c. 4. quod ita esse, non est necesse hic repeti, sed debet supponi: hæc enim non pugnat ut scilicet Concilium uno in loco statuat parochianos teneri ad frequentandam parochiã (intellige quantum ad concionem) & alio in loco velit eos de hoc moneri. Porro quod Azorius addit, quod Synodus non dixerit Episcopis *Cogant jubeant*, (scilicet Patochianos audire cōcionē in parochia dictis diebus stante commoditate) unde inferri posse putat Parochianos ad id non teneri: puerile est, nam jussio illa sive decretum obligativum ad id quod supra, est factum & conditum ex tunc ab Oecumenico Trid. Concilio: & proinde Concilium prudentissimè non dixit, *Episcopi id jubeant sed moneant*, scilicet jussum nostrum seu decretum executioni mandari. Et proinde manet Parochianos ad concionem in parochiâ teneri,

ex parte Concilii licet de hoc debeat per Episcopos moneri.

Q. 29 Quomodo jam ab Azorio data solutio ostendi possit continere falsum?

R. Sic ostendi posse: dicit enim, quod Con. Trid. ubi in sess. 22. agit de frequentanda Parochia; *Nondixerit Episcopis, Cogant Iubeant* hoc autem falsum est: & solum remitto ad dictam sess. 22. *In decreto de observandis & vitandis in Celebratione Missæ*, quod incipit *Quanta cura*. Ibi enim sub finem immediatè post statutū jam à nobis Q. 28. citatum S. Synodus sic concludit. *Hæc igitur omniaquæ summatim enumerata sunt omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur, ut non solum ea ipsa sed quæcumq alia huc pertinere visa fuerint, Ipsi pro datâ sibi à sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut delegati Sedis Apostolicæ, prohibeant, mandent, corrigant, statuant: atq ad ea inviolatè servanda, Censuris Ecclesiæsticis, aliisq pænis quæ illorum arbitrio constituentur fidelem populum compellant: non obstantibus privilegiis exemptionibus apellationibus, ac consvetudinibus quibuscunque.* Ecce, ut Episcopi exactius faciant observari ordinationem illam Concilii de frequentanda Parochia, unâ cū quibusdam aliis dicit expressè ut *compellant & mandent* quod idē est, ac *cogant, jubeant* quod tamen negat Azorius, ut proinde eius solutio ante data Q. 28. merito videatur continere falsum.

Q.

Q. 30. An qui præsumeret asserere revera Parochianos non obligari ad concionem Parochiæ, interim dum Concilium Trid. asserit & decernit eos teneri ille non sit injurius omnibus sacri Concilii Patribus?

℞. Illum esse injurium: nam est illum habere omnes illos Sanctos Patres pro falsariis doctrinæ Catholicæ in Ecclesia Christi, quasi populum fidelem decipere volentibus sicuti verbi gratia. Merito haberer ego pro tali, si præsumerem publicare in hac Cathedrali Ecclesia Cameracensi, publicè coram toto hoc populo, tanquam doctrinam Catholicam, *Omnes adolescentulas innuptas teneri vovere virginitatem & ingredi Religionem.* Meritò enim turbarentur & reclamarent dicentes, Ecce iste Ecclesiastes publicat & prædicat absolutè in facie Ecclesiæ, *Omnes urbis Virgines teneri ingredi Religionem & tamen ad id verè non tenemur.*

Deinde est habere illos sanctos Patres pro non sincerè loquentibus: pro duplicibus corde habentibus obligationem in ore & tamen eam negantibus in corde: Dicentibus & statuentibus unum voce, & contrarium cogitatione: proindeque sibi ipsis contradicentibus: Si enim *Teneri* non sit reuera obligari: erit liberum reuerà esse, non datur medium: sunt enim contradictoria in virtute, cum teneri & liberum esse in conscientia sit idem quod in conscientia *Teneri & non Teneri.*

neri. Absit etiam ut vel tenuissimam umbram suspicionis habeamus, quadringtos & octo Sanctos Concilii Patres jocatos fuisse, quasi joco & pro nihilo dixissent *Vnūquemque teneri* quando quidem cum infallibili assistentia Spiritus sancti ea sint elocuti decretivè & in sancta sinceritate, quœ per spatium octodecim annorum (quibus durauit Concilii celebratio) diuinitus eis fuerunt inspirata secundum quod eadem, cuique parochiano cum majori securitate ad salutem per suos pastores dirigendo, visa fuêre necessaria.

Q. 31 An Concilium Trid. loquendo obligatorie de audiendo Verbo Dei in Parochia. loquatur conformiter juri antiquo Ecclesiastico?

Resp. Quod sic. Nam de *Consecratione distinct. 1. cap. Sacerdote*, ex Concilio Carthaginensi sic habetur *Sacerdote in Ecclesia verbum faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur*. Ex hoc vero textu evidens colligi potest argumentum, fuisse ex tunc præceptum obligans ad audiendum Verbum Dei, Concilium autem Trid. conformiter decernit hanc obligationem his verbis, *Teneri vnumquemque* cum hac solum differentia, quod præcepti quidem vinculum retinuit, sed excommunicationis pœnam sustulit: quæ nihilominus excommunicatio, in antiquo illo jure adjecta præsuppositæ, ex præcepto aliquo, obligationis, indubiè, signum fuit.

Q.

Q. 32 *An obligatio Tridentini Concilii ad concionem Parochorum sit fundata in jure naturali?*

Resp. Quod sic. Quia ipsa ratio naturaliter dictat hoc. Si enim Pastor ipse seu Parochus tam strictè obligatur Dominicis & sollemnibus Festis populo fideli prædicare, ut habetur Conc. Trid sess. 5. cap. 2 Item sess. 24. cap. 4. Reuera omninò convenienter rationi naturali, exadverso subjecit obligationem in subjecta plebe, ad suos, ipsis iisdem diebus, Pastores audiendos, si commode fieri potest. Ratio est, quia cum Parochianus & Parochus sint Correlatiua: sicut etiam ouis & Pastor, plebs & plebanus; pascendus & pascens, obligationes eorum prout correlatiua sunt, debent etiam esse reciprocæ: proinde, si Pastor per aliquam functionem sui officii Pastoralis, debeat se habere actiuè ad oues suas pastorales seu parochianas, infallibiliter sequitur, eas è converso debere se ad ipsum habere passiuè: id est, debere se ei submittere, & modo ac tempore per Concilium determinato, ea suscipere quæ ipse Parochus dictis modo ac tempore, obligatur eis communicare. Cum igitur hæc mutua Pastoris & Parochianorum obligatio, quo ad verbum Dei prædicandum & audiendum sit fundata in ratione: optimè concluditur, supposita Pastorum ad prædicandum plebi obligatione, obligationem plebis ad

ad audiendum, fundamentum habere in jure naturali. Confirmatur argumento à simili: nam eodem modo, Concilium Tridentinum in materia Confessionis sess. 14. cap. 5. ex eo quò Sacerdotes, post JESU CHRISTI è terris ad cælos ascensum, relicti ab illo sunt tanquam ejus Vicarii, Præsides & Iudices, ut in foro pænitentiæ, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam super confitentes pronuncient, non possint autem hoc sibi impositum judicandi officium exercere, neque æquitatem in pœnis injungendis servare, nisi pœnitentes sua ipsi peccata sigillatim & in specie declararét: ex eo (inquam) Concilium colligit necessitatē & obligationem in pœnitentibus confitendi omnia peccata mortalia quo ad speciem & numerum, idque quia in hoc foro ratio dictat reciprocum esse debere onus & debitum in pœnitentibus integrè confitendi, quia in judicibus ejusmodi fori; onus & obligatio est, debitè judicium exercendi.

Q. 33. An ex eodem vocabulo Concilii, obligante Episcopos ad plebi in Parochia prædicandum, rectè inferatur obligatio reciproca in plebe, ob simile vocabulum quô Concilium vtitur ad obligandam plebem ad audiendum?

Resp. Quòd sic: quia cùm Synodus non æquivocet in eâdem materia (in præceptis enim edendis, sicut & in testamentis vtendum

dum est voce clara, qualis verbi gratia est vox *Teneri* in materia obligationis) ubi Synodus similiter loquitur : si obligat in uno obligat & in altero, at verò similiter loquitur in Canone facto pro Episcopis & Parochis, ad prædicandum in Parochia diebus Dominicis & Festis solemnibus, & similiter iterum loquitur in Canone facto pro Parochianis pupulis ad audiendum : ergo si illi obligentur ad prædicandum, hi etiam obligantur ad audiendum. Probatur autem Synodum similiter loqui utrobique, quia pro utrisque utitur eodem vocabulo nempe *Teneri*. Pro istis quidem prædicare debentibus, habetur seu usurpatur vox *Teneri*, sess. 5. c. 5. pro populis verò audire debentibus, habetur etiam vox *Teneri*. sess. 24. cap 4. *Vnumquemque Teneri*. At verò Episcopi & Pastores omnino sentiunt se verè & in conscientia obligari ad prœdicandum per se vel per substitutos, idque ob vim vocis *Teneri*, ergo & plebs pariter verè & in conscientia obligatur ad audiendum, propter eandem vocem *Teneri*. quæ sine dubio est utrobique ejusdem significati & vinculi.

Q. 34. An sint aliqua privilegia liberantia populum ab obligatione concionis Parochiæ?

Resp. Negativè : quia oporteret illa esse concessa per aliquod Concilium Tridentino posterius, quod tamen nullum est : vel per

ali-

aliquam specialem Sedis Apostolicæ Bullam, qualis omnino nulla reperiri potest. non enim solent facilè summi Pontifices ultimo universali derogare Concilio.

Q. 35. An Casuistæ, si qui sunt, huic obligationi ad concionem parochialem, aliquid contrarium dicentes, debeant nos movere?

Resp. Quod non, quia si sunt veteres, præcesserunt Concilium, & ideò hoc Concilii statutum nescierunt cum nondum exstaret, si sunt recentiores, certè Concilium legere omiserunt, vel non attenderunt, vel si sunt Regulares, præ occulto fortassis affectu populos ad suorum Monasteriorum Ecclesias coacervandi, maluerunt connivere.

Q. 36 An sit cessandum ab ostendenda obligatione audiendi verbum Dei in Parochia juxta Canonem Concilii Trid. ne aliquis de plebe conijciatur in scrupulum conscientiæ?

Resp. Quòd non: tum quia sacrosancta Synodus obligat ad monendos populos de hoc Tum quia è contra obligatio præcepti cujuscunque benè intellecta, & obedienti affectu propter Dei amorem & sanctam ejus voluntatem implendam, executioni mandata; apta nata est scrupulum amovere. & obedientis animæ conscientiam mirum in modum in Domino tranquillare.

Q. 37. An aliqua consuetudo se absentandi à conci-

concione Parochiæ dictis diebus, possit excusare, à dicta obligatione?

Resp. Quòd non: quia post hìc promulgatum & receptum Concilium ultimum Oecumenicum, nulla populi in contrarium consvetudo, secura est in conscientia: sed est potiùs verissima corruptela, proindeq; nullo modo præscribere potest contra Concilium Trid.

Probatur 1. ex doctrina S. Augustini de Baptismo relata dist. 8. *Frustra quidam qui ratione convincuntur, consvetudinem nobis objiciunt, quasi consvetudo sit major veritate: Aut non sit in spiritualibus sequendum quod melius à Spiritu Sancto revelatum est: hoc planè verum est: Quia ratio & veritas consvetudini præponenda sunt; sed si consvetudini veritas suffragatur, nihil oportet firmius retinere.*

Probatur 2. ex S. Cypriano eâdē distinct. *Consvetudo sine veritate vetustas erroris est: propter quod relicto errore sequamur veritatem: ignosci potest, simpliciter erranti: post inspirationem verò & revelationem veritatis factam, qui in eo quod erraverat, perseverat: prudens & sciens: jam non in venia ignorantiæ peccat, præsumptione enim, & obstinatione quadam nititur.*

Probatur 3. ex Augúst. lib. 2. de unico Baptismo. *Veritate* (inquit) *manifestata, cedat consvetudo veritati: quia consvetudinem, ratio & veritas semper excludit.* Iam autem quòd ovis debe-

debeat ſequi paſtorem ſuum, *Ratio eſt.* Quod obligato Paſtore ut eam paſcat, ipſa quoque illi viciſſim obligetur, ut ab eo paſcatur. *Ratio eſt.* Quod ſubjecti obediant ſuperioribus juxta illud Hebr. 13 *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis. Ratio poſtulat.* Quod Paſtoribus obligatis in die judicii reddere ex officio rationem ſtrictiſſimam pro ovibus ſuis quo ad directionem ſalutis, hæ quoque ſe ſubmittant ſinantque ſe dirigi *Ratio exigit.* Quod præterea, Parochiani ſubditi caveant ne ſuis inobedientiis Paſtores ſuos contriſtent, *Ratio eſt.* juxta illud ad Hebr. cap. ultimo, *Obedite eis ut cum gaudio hoc faciant & non gementes, hoc enim non expedit vobis, ipſi enim pervigilant quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.* Has probationes adduxi ut appareat quàm æquum eſt ut contraria conſvetudo cedat rationi, juxta prææallegatam illam S. Auguſt. maximam. *Conſuetudinem ratio & veritas ſemper excludit,* Quod verò attinet ad veritatem, pravæ etiam conſvetudinis excluſivam teſte Auguſtino. Certè veritas eſt *Populum* teneri ad verbum Dei in parochia audiendum; cum ita expreſſè determinet Eccleſia Romana quæ. 1. ad Tim. 3. *Eſt columna & firmamentum Veritatis.* Cedat ergo etiam conſvetudo veritati, nam ut ait diſt. 8. *Ieſus non dixit. Ego ſum Conſvetudo, ſed Ego ſum Veritas*

ritas

ritas, proinde usus qui est veritati contrarius, est abolendus.

Probatur 4. per hunc textum expressum in 6. titu. de consvetudine: *Consvetudinem quam in vestra Ecclesia servatam asseritis tanto tempore, quòd in contrarium memoria non existit: videlicet, &c. corruptelam (cum sacris sit inimica Canonibus) meritò reputantes, eam authoritate Apostolicâ reprobamus.* Concludimus itaque nullam consvetudinem se absentandi à concione parochiali dictîs diebûs, posse quemquam parochianorum ab hac obligatione excusare, & in suis absentiis securum quo ad conscientiam reddere: nam illa consvetudo est sacris inimica Canonibus, ideoque reprobanda.

Q. 38. An Consvetudo non frequentandi Parochiam, non evertatur & aboleatur per Concilium Trid?

Resp Quòd sic idque sess. 22. in Decreto de observandis & vitandis in celebratione Missæ: ubi S. Synodus volens etiam Censuris per Episcopos populum stringi (si opus sit) ad frequentandam parochiam: addit, *Non obstantibus consvetudinibus quibuscunq;*

Q. 39. An Rodriquez 1. Tom. quæstionum Reg. quæst. 43 artic. 7. faciat contra nostram præsentem doctrinam?

Resp. Eum totâ illâ suâ quæst. conari ostendere parochianos non debere audire nec

Mis-

Miſſam, nec Concionem in propria Eccleſiæ parochiali diebus Feſtis majoribus & Dominicis ex ulla ad peccatum obligatione. Sed quam indebitè hoc faciat, conſtabit ex diſcuſſione verborum ejus.

Q. 40 Quid 1. alleget Rodriq; contra obligationem ad parochiam, & quidem ſpecialiter contra debitum Miſſæ Parochialis dictis diebus?

Resp. Adducit Bullam Leonis 10. quâ declaratur fideles ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Miſſa audienda, dum audiunt illam in Eccleſiis Regularium Dominicis & Feſtis. Verùm ibi pugnat ſine hoſte, litigat ſine parte, quo ad hoc enim conſentimus cum eo; neque id eſt, quod hic docere ſpecialiter intendimus. Nam nos peculiari quodam modo diſtingvimus inter *Miſſam præcepti univerſaliſſimi parochialem*, ut videbitur in poſteriore parte hujus noſtri Tractatus, ubi agetur ſeorſim de debito Miſſæ parochialis Q. 17. Agnoſcimus ſiquidem etiam diverſos Canones de audiendis illis diverſis Miſſis. Canon enim de audienda *Miſſa præcepti*, habetur de conſecrat. 1. cap. Miſſas ex Concilio Agathenſi, eſtque ſtricti præcepti & obligat univerſum Clerum, omnes Regulares, omnes Laicos, totamque plebem nemine fidelium excepto: quod bene eſt notandum. Canon verò de audienda *Miſſa parochiali* habetur in Concilio Trid ſeſſ.

22.

22. in Decreto de Obſerv. Et vitandis in celebratione Miſſæ. continetque Conſtitutionem ſimplicis fortaſſe ad ſalutem directionis, ſub nullo veriſimiliter peccato (cur autem dicamus *fortaſſe & veriſimiliter* patebit infra) ita tamen ut ad ſolos parochianos ſeu parochianorum plebes ſpectet & proinde illis ſpeciale incumbit debitum humiliter obediendi huic expreſſæ Eccleſiæ Conſtitutioni, in dicto Concilii Trid. loco poſitæ, & poſtmodum in Bulla Clementis 8. repetitæ (de qua Bulla infra) obediendi, inquam, tam exactè & seriò, quàm seriò Capucini, aut Patres Societatis IESU obedire feruntur & debent ſui Ordinis Conſtitutionibus, tametſi ſub nullo peccato ligantibus.

Nunc autem ad propoſitum noſtrum redeundo; ſicut ut ſatisfiat debito audiendi Miſſam *Præcepti univerſaliſſimi*, totum ſcilicet Chriſtianiſſimum ſtrictè obligantis *Dominicis & Feſtis*; contenti inquam in Concilio Agathenſi, cap. *Miſſas* opörtet indubiè eam alicubi audire ſive audiatur in hoſpitalibus, ſive in Eccleſiis Regularium, perinde eſt, cū obligatio non ſit localis, eò quòd Canon non liget ad locum, ſed ad miſſam ſolam, ſicut continet Bulla Leonina jam allegata. *Ita quoque ut ſatisfiat Conſtitutioni Tridentinæ & Clementinæ de audiendo Miſſam Parochialem*, clarum eſt Parochianos

debe-

debere eam audire in propriâ parochia, Constitutio enim supradicta tam Concilii Trid, quam Clem. 8. determinat expressè locum Parochiæ: unde Leo decimus, gratis & extra propositū allegatur; cùm non agat de Missâ ut parochiali, in suâ illâ Bullâ: & licet de illa ageret, nihil contra nos faceret, nam inter Legislatores successivos prior non derogat posteriori, sed è contra: Concilum autem Trid. & Clemens 8. sunt Leone 10. posteriores, proindeque horum. Constitutio robur habet.

Q. 41. Quomodo Rodriquez prosequatur suam glossam hac de re super Concilium Trid. & an non videatur impingere in Bullam confirmationis, excommunicantem glossatores?

℞esp. Quod, num impingat in dictam Pii 4. Bullam relinquo iis quorum interest determinandum juxta Bullæ tenorem. Interim videamus num benè glosset. Adducit igitur decretum seu Canonem sess. 24 c. 4. *Moneatque Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque Parochiæ suæ interesse, ubi id commodé fieri potest ad audiendum verbum Dei.* Sic imprimis hoc glossat, ut dicat (absque ulla ulteriori discussione) statim, populūm ad id non obligari sub mortali. Tota autem illius hoc asserendi ratio, fundamentum aliud non habet, nisi in duobus istis verbis, *moneat Episcopus.* Notanda enim sunt illa verba. *Moneat Episcopus*, (agit Rodriquez

ez) *quæ designant monendos, non obligari sub peccato mortali; si enim* (inquit) *obligarent, diceret Concilium statim, quod si noluerint ejus monitis adhærere, astringat populum ut concionem audiat*, hactenus Rodriquez.

Q. 41. *An Rodriquez jam allegatus rectè ratiocinetur de debito audiendi verbum Dei in Parochia?*

Resp. Quod non. Nam, quòd ait, duo illa verba *Moneat Episcopus*, *designare monendos non obligari sub peccato mortali;* non video quare id dicat, nam ista duo verba non significant. nec ullo modo, explicitè vel implicetè important id quod ipse dicit, nimirum monendos non teneri sub peccato mortali. Totum quod ista duo verba important, est quod Episcopo incumbat monere. Unde non potest colligi obligatio plebis ad concionem, ex illo verbo, moneat, cùm monere plebem non sit obligare plebem. Ideoque in colligenda hac plebis obligatione. attendendus est Canon integer, qui secundum diversas partes suas integrales, ut minimum per duo diversa verba, nempè *Moneat* & *Teneri*, duas indicat obligationes in conscientia, unam Episcopi, inclusam in verbo *Moneat*, hoc ipso siquidem quod Concilium imperativè dicit, *Moneat*, obligat Episcopum ad monendum populum. Alteram autem populi, inclusam manifestè in verbo *Teneri* cum teneri sit obligari. Itaque Epi-

sco-

ſcopus obligatur in conſcientia ad monendum, cùm imperetur ei ut *Moneat* & populus ad parendum, cùm decernatur eum *Teneri* in uno & eodem Canone.

Rátio autem cur Rodriquez non invenerit hic obligationem populi, eſt, quia gloſſando hunc Canonem, hæſit tantum in ejus duobus primis vocabulis explicandis, *Moneat Epiſcopus*, & ad ſequentia Canonis verba non proceſſit, in quibus tamen dictam populi in conſcientia obligationem inveniſſet: Quod autem ait iſta duo verba *Moneat Epiſcopus*, deſignare monendos non obligari, jam reſpondimus ſufficere quod per ſequens verbum *Teneri*, deſignetur Populos obligari. Quod præterea addit populum non obligari ſub peccato mortali ad concionem parochiæ, ego quidem illud non auſim pro nunc reſolvere, an ſcilicet populus ad id obligetur ſub mortali. an verò ſub veniali tantùm in hoc enim fixus hæreo, ſaltem teneri ſub peccato qualecumque illud ſit, ſive mortale, ſive veniale. &licet obligaretur ſub veniali tantùm eſſet ne illud parvifaciendum? cùm unum veniale voluntarium ſit majus malum quàm annih,latio totius mundi? ſufficiat ergo *Teneri*, habere [1] vim præcepti ex Concilio Viennenſi ſub Clemente 5 ut ſupra Q. 11. monſtravimus: & proinde non eſſe improbabile id quod âliqui Doctores ferunt dixiſſe, poſſe defendi hanc obligationem popu-

populi ex vi verbi *Teneri* esse sub peccato etiam mortali quod tamen ego decidere non præsumo, & ideò cummuni ratione peccati contentus remaneo, ratus obligationem conscientiæ etiamsi sub solo esset veniali, tanti debere esse apud quemcumque fidelem Christi servum, ut sit ei in stimulum quò efficaciter adigatur ad obediendum Deo & Ecclesiæ qualecumque præcipienti.

Quod Rodriquez adijcit *Si enim obligarent* (scilicet duo illa verba de quibus ante, *Moneat Episcopus*) *diceret Concilium statim quod si noluerint ejus monitis adhærere, adstringat Episcopus populum, ut concionem audiat*. Nullatenus quadrat: resumamus ejus verba per partes *Si enim obligarent*, ait *Resp*. Non requiri quòd obligent, satis enim est populum obligari per sequentia ejusdē Canonis verba nempè, *Unumquemq teneri Diceret*, inquit *Concilium statim, quod si noluerint monitis adhærere, Episcopus astringat &c.* Respondeo non esse opus quod Concilium hoc dicat nimirum, *astringat Episcopus populum*, quia jam est astrictus à Concilio in illa voce Canonis, *unumquemque teneri*, unde tantùm est opus, quód Episcopus moneat populum, & hoc ipsum est quod Canon injungit Episcopo, dum sic incipit *Moneat* Episcopus. Unde patet quàm inconvenienter glosset Rodriquez.

Q. 43. An Rodriquez benè explicet hæc Cano-

nonis verba, ubi id commodè fieri potest?

Resp. Quod hæc valdè malè & indebitè glosset, quod ut meliùs capiatur, citemus ejus verba: sunt autem sequentia.

Præterea ait Concilium populum teneri interesse suæ parochiæ, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum verbum Dei. Quod intelligendum est quādo in Monasteriis non prædicatur: cùm enim in ipsis prædicatur, commodiùs multò est parochianis audire concionem in ipsis, quàm in parochiâ, cùm in Monasteriis officia divina majori cum devotione celebrentur: & propter multitudinem sacerdotum non deficiant Missæ, quas serò ad Ecclesiam venientes audire possint, & præcepto Ecclesiæ satis facere. Et cùm regulariter loquendo, Prædicatores in Monasteriis prædicantes, sint præstantiores quàm Prædicatores in Ecclesiis parochialibus concionantes: & quia audientes verbum Dei à prædicatoribus Ordinum mendicantium lucrantur indulgentias. Hactenus Rodriquez.

Quid vobis videtur de isto Commentario? præsertim post Pii 4. prohibitionem quæ sic habet: Apostolica authoritate inhibemus omnibus, Prælatis quidem sub Interdicti ingressus Ecclesiæ, aliis verò sub Excommunicationis latæ sententiæ pænis, ne quis audeat sine authoritate nostra ullos commentarios, glossas, annotationes, scholia, ullumvè interpretationis genus super ipsius Concilii decretis quocun-

que

que modo edere? Si non licet quocunque modo edere, quanto minus isto tam à verbis & intentione S. Synodi, alieno? dicit enim, ut verba ejus resumamus? *Quod intellgendum est quando in Monasteriis non prædicatur.* Quis non videt ipsum hoc addere de suo, & alterare decretum? & cùm addit parochianis esse commodius, audire concionem in Monasteriis, quàm in parochia, certè fidelis glossatoris partes non agit, præsertim in voe *Commodè* nam cùm Canon usurpet solum *positivum* ipse in sua glossa superinducit comparativum in textu si quidem habetur *Positivus commodè*, in ejus autem glossa habetur *commodius*.

Deinde Concilium loquitur absolutè ipse autem comparativè. Concilium, solum Parochiæ locum nominat: ipse vero superaddit Monasteria, tanquam si utraqne Ecclesia parochialis scilicet & Regularis, essent compræhensæ in Decreto allegato, & relinqueretur optioni ac libertati parochianorum alterutram adire, prout illis visum fuerit sibi esse commodiùs. Hoc autem repugnat Canoni, in quo nulla sit mentio Monasteriorum nullaq sit comparatio Ecclesiæ parochialis cum Regulari, nec manet indifferens populo eligere hanc aut illam in qua audiat concionem ut satisfaciat obligationi Canonis. Ratio est quia Canon solam exprimit parochiam, eò quòd intendat restituere spiritualem disciplinam paro-

parochiarum, unde hæc obligatio eſt parochianorum, prout ſunt parochiani, quæ ut per ſe clarum eſt, non poteſt impleri niſi in parochiâ.

Q. 44. An Rodriquez benè gloſſet vocem hanc Canonis, ſcilicet Commode?

Resp. Quòd non; nam cùm Synodus decernit populum teneri intereſſe parochiæ, ſive ire ad parochiam & addit, *Ubi id commodè fieri poteſt* &c. per id, *Commodè fieri poſſe*, non intendit ſignificare aliud quàm habere commoditatem intereſſendi ſuæ parochiæ ſive eundi ad illam & perſonaliter ibi comparendi. Poſſe autem idfacere, ſeu eò ire, *commodè*, eſt non eſſe legitimè impeditum, ſive eſt eſſe ab omni rationabili impedimento liberum: & quia aliquando rationabilia impedimenta occurrere poſſunt parochianis, qualia poſſunt eſſe: debilitas nimia: morbus: peregrinatio: tempeſtas aeris: viæ aut difficiles, aut ab inimici noſtri inſidiis ſuſpectæ: aut adven tus hoſpitum gravium, aut aliquod negotium tunc rationabiliter gerendum, aut quodcunque aliud ſimile. Ideo SS Synodus in hoc decreto ſuo Eccleſiaſtico, & jure humano volens agere humaniter memor conditionis humanæ, & poſſibilitatis impedimentorum variorum, obligationem illam ſic per condeſcendentiam temperavit, ut adjecerit. *Si id commodè fieri poterit.* Ea autem planè eſt mens Concilii. Hanc autem au t non advertit aut diſſimulavit Rodri-

quez

quez: nam deferens verbum textûs Canonis *Commode* & ejus loco substituens vocem *Commodiùs*, manens in ficta illa sua comparatione parochiæ cum Monasteriis detorquet vocem commoditatis à suo vero significato à nobis jam expresso & à Concilii Patribus intento & prosequens exponere suum imaginarium *Commodiùs* dicit ea quæ supra ex ipso citavimus initio Q. 43. & metitur commoditatem suô modô; nempè ex eo commodius esse, interesse monasteriis ad audiendam concionem: quod in iis divina officia cantentur cùm majori devotione: & quid hoc, quæso, ad propositum audiendi concionem? cum cantus & psalmodia sint impedimento audiendi concionem & debeant cessare, durante illa? quid hoc iterum ad rem? cùm sive officia devotius ibi cantentur, sive non: Decretum solùm agat de concione parochiæ, & Monasterium non sit parochia? Quod dicit, ideo propterea esse commodiùs, quia in monasteriis multæ Missæ celebrantur, quas audire possint serò venientes ad materiam concionis? de qua hic agimus, non spectat, ideo non est ad rem. Prætereà ideo commodius esse censet audire concionem in monasteriis, quia regulariter loquendo præstantiores sunt ibi prædicatores, quam in parochiis. Hoc non videtur ita esse, regulariter loquendo, prædicatores parochiarum sunt stationarii regulares, iique præstantiores aliis qui

domi

domi relinquuntur ad concionandum in Eccleſia Monaſterii. Deinde Paſtores moderni civitatum doctiſſimi ſunt & præſtantiores multîs Religioſîs prædicatoribûs. Denique non tam eſt attendendum qui ſint præſtantiores in vanitate eloquentiæ, quàm vtilitate doctrinæ ſalutaris, de virtutibus & vitiis, pæna & gloria æterna, prout commendat Concilium Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. idque juxta & paſtorum & plebis capacitatem: id autem fideliùs præſtare valent Parochi, cum melius nôrint plebis ſuæ neceſſitates, & ad illam paſcendam ſalubriter ex officio ſuo obligentur.

Quod dicit Rodriquez *commodiùs eſſe audire concionem Regularium, propter indulgentias, quas eorum auditores lucrari dicit:* ad hoc Reſpondet *R. D. Abbas Henricus Zypæus* libro de ſtatu Religioſarum & filiabus devotariis parte 3. cap. 5. dicens illud indulgentiarum lucrũ non eſſe intelligendum de illis mendicantium concionibus, quarum occaſione auditores avocantur à præſtanda obligatione audiendi concionem in Parochia: ſed de illis, quæ audiuntur per modum ſuper erogationis, impletâ tamen obligatione audiendi parochialem. Nunquam enim intelligit nec intendit Eccleſia Regularibus annuere priuilegia, quorum vſus deſtruere habeat ſanctiſſimas ejus ſanctiones.

Ex dictis itaque satis patet glossam Rodriquez inconvenientem esse, nec obligationi parochianorum ad concionem Parochiæ quidquam præjudicare.

Q. 46. *An Rodriquez allegans alium Canonem faciat contra obligationem concionis Parochialis?*

Resp. Quòd non, ad quod ostendendum præmittamus illum Canonem Trid. sess. 22. in Decreto de observ: & vitand. in celebr. missæ, quem adducit Rodriquez, estque talis.

Moneat etiam eundem populum, ut frequenter ad suas parochias, saltem diebus Dominicis & Festis majoribus accedant. Itaque iste Canon contra obligationem, quam docemus nihil facit; nam non agimus modò, nisi de Verbo Dei audiendo in Parochiâ; hic autem Canon agit solùm de Missa parochiali, non autem de concione. Cæterùm an benè glosset hunc Canonem, proprio loco videbimus, nimirum posteriori parte hujus Tractatus, ubi agemus de debito audiendi Missam parochialem.

Q. 46. *An Devotariæ sæculares non sint Parochianæ & non teneantur cum plebe ad Parochiam?*

Resp. Quòd sic, sunt enim de Populo: unusquique autem de populo tenetur ad Parochiam saltem ratione concionis, ergo &c.

Quod

Quod ut meliùs intelligatur, sciendum est adæquatam fieri diuisionem membrorum Ecclesiæ, in Clerum & populum, seu plebem: siue in Ecclesiasticos & sæculares, siue laicos. At verò fœmina non sit persona de Clero seu Ecclesiastica, nisi sit Monialis, Devotariæ autem istæ, de quibus intendimus loqui, non sunt Moniales; immo licèt fortasse votum simplex castitatis fecerint, non sunt propriè in statu, ideoque manent verè sæculares ac laicæ. Vnde non gaudent privilegio fori Ecclesiasticorum; & qui eas verberaret, non incideret in Excommunicationem Can. *Si quis suadente diabolo.* Incideret tamen, si percuteret Monialem. Patet præterea Deuotarias tales, non esse de Clero, quia possunt conveniri coram judice sæculari, ab eoque incarcerari ac puniri; Quin & ipsæ cum reliquis de populo suscipiunt Extremam Unctionem & Viaticum Sanctissimæ Eucharistiæ à suo Parocho; sunt igitur verè parochianæ, alioquin essent sine propria Ecclesia ac Pastore tanquam oves erraticæ nulli subjectæ: ex quo sequitur evidentissimè eas esse verè Parochianas; & proinde teneri cum populo ad omnia debita parochialia, & consequenter ad eas omninò & seriò pertinere præceptum Concilii Trid. supra Quæsito 3. positum de audiendo in Parochiâ verbo Dei. Interim permittite mihi, ut vo-

bis in ſenſu meo duo verba loquar: *O filiæ devotariæ!* Laudo vehementer propoſitum vitæ veſtræ, & pro vobis gratias ago Domino, quod ei in ſpiritu & deuotione fideliter ſervire ſatagitis, & in Mundo de Mundo non eſſe contenditis; & per exercitia ſpiritualia, veramque propriæ voluntatis mortificationem Deo placere & ei adhærere, unuſque cum eo per intimum & gratuitum amorem, tandem, ſpiritus fieri laboratis. Ignoſcite tamen mihi pauperrimo Religioſo, ſi hoc vobis ingeſſero. Quamdiu non obeditis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Chriſti Sponſæ Matri veſtræ, vobis præcipienti audire Verbum Dei in Parochia veſtra inter Miſſarum ſolemnia, ſingulis Dominicis & majoribus Feſtis, ſi habetis commoditatem; poſito ſcilicet, quod hanc obligationem probè noueritis, ſi non paretis, tantùm abeſt vt in vera via perfectionis ambuletis, quinimo in via boni & obedientis Chriſtiani hominis nondum eſtis. Iterum credite mihi omnia meliora vobis deſideranti. Quamdiu non dignamini ſequi monita & diviniſſima conſilia Noſtræ Matris Eccleſiæ de audienda dictis diebus Miſſa Parochorum veſtrorum, & exhibenda illis de corde ſincero reverentia, nondum proculdubio eſtis in via vera perfectionis ſpiritualis, in quâ noſtræ propriæ electiones ac voluntates, in rebus quantumvis

ex

ex objecto bonis, exigui certè apud Deum sunt momenti, nisi fiant & serventur ea quæ sunt debiti: nec satis est id in Confessarium reijcere, si ipsæ veritatem nôstis. Cæterum ipse qui vos in contrarium dirigit, malé dirigit, & indubiè reddet rationem Deo in die Iudicii de hoc scandaloso præjudicio contra sanctissimas Ordinationes Oecumenici Concilii, Matrisque Ecclesiæ.

Q. 47. Quid sentiendum de modo agendi quorumdam Confessariorum qui (postquam aliquis Prædicator cœpit docere plebem de sua obligatione ad Parochiam) timentes ne perdant suas devotarias: clam susurrari faciunt, eum potiùs turbare conscientias, quàm juvare?

Resp. Quòd ille agendi modus, cum eo tendat, vt Prædicatorem talem; alioquin tuendæ authoritatis Romanæ Ecclesiæ verè fidum Aduocatum, populo simplici exosum reddat, ideoque in sua doctrina minus credibilem: non esse secundum Deum. Malum enim quod indè resultat, grauius est, quam putetur: nam ex hoc deuotariæ & alii Regularium pœnitentes de Concionatoris doctrina minus bene opinantes, in eumque minus affecti, tandem, vt morem gerant suis directoribus & defugiant occasionem scrupuli, vt vocant: deserunt auditorium feriæ instructionis, ad fabulas autem conuertuntur, fabulas inquam: quid

quid

quid enim aliud ſunt, ejuſmodi ſuaſiones ordinationibus Eccleſiæ repugnantes, quam fabulæ, & quidem noxiæ? juxta id *Narraverunt mihi iniqui fabulationes, ſed non ut lex tua.* Reſpondeo igitur, quod fideliter ignoranti populo Eccleſiæ præcepta exponere, & ordinationes Sedis Apoſtolicæ intimare; eſt reuerà vtilem eſſe, & verè ſalubriter conſcientias juvare: tantùm abeſt, vt ſit eas turbare; niſi fortè per accidens, & quidem eo genere turbationis, quod ſit valde pium. Pium eſt ſiquidem, animam, auditâ, & jam primùm detecta obligatione ſua ad Parochiam nonnihil turbari: imò timere in poſterum de culpa. Proinde illa ſollicitudo cavendi erroris contrarii, qui conſiſtit in nolendo ire ad Parochiam & anxietas illa acceptandi atque adimplendi obligationem frequentandæ Parochiæ, jam tandem agnitam ex vi noſtrarum prædicationum, bona eſt & viam facit ad emendationem in futurum: eſtque; non aliud, quâm timor Domini, qui eſt initium ſapientiæ. Conturbare quidem conſcientias in ordine ad malum & errorem, eſt malum: *Abſcindantur* (ait Paulus) *qui vos conturbant*: ſed conturbare ad bonum, bonum eſt. Pſal. 59. *Domine commoviſti terram & conturbaſti eam: ſana contritiones ejus, quia commota eſt.* Vides poſt conturbationem veniri ad ſanationem? vis ſcire, quomodo id fiat.

Anima

Anima ſtimulô conſcientiæ agitata incipi reſpicere retro ad larvam aſſueti erroris & ſublatâ larvâ eum agnoſcit: tunc ſe inde avelit: & ante ſe reſpicit: & diſcoopertam intuens faciem amabilis veritatis ſuam ei obligationem detegentis; non mirum, ſi tunc anima luctam habet: antrorſum enim trahitur à veritate, retrorſum ab antiquo errore: modò vult, modò non vult: Qualis lucta! qualis conturbatio animi! præſertim ſi error erat non in intellectu ſolùm, ſed & in voluntate. Detectâ enim ſuæ ad Parochiam obligationis veritate, eamque per conciones noſtras probè intelligens, ſi non paret deuotaria illa parochiana; ſi non redit ad Parochiam; ſi non negligit patrem ſuum ſpiritualem, contraria inſuſurrantem; jam non poteſt amplius in excuſationem, dicere *Neſcio* ſed *Nolo*: non enim eſt amplius ligata vinculo ignorantiæ, ſed vinculo amoris proprii erga extraneos directores: & quidé incredibile eſt quam difficile ſit vinculum iſtud fixæ affectionis diſſoluere: Si enim concionando, repræſentaueris quam ſit: *Lex Domini immaculata convertens*, (ſcilicet) *animas ab omni inordinata affectione creaturæ, ad Deum, & ad ejus implendam voluntatem ſanctiſſimam?* ſtatim audies ut olim ad Chriſtum: *loquere nobis placentia, & audiemus te.* Sed permitte, ut ego dicam tibi, ô filia devota parochi-

rochiana; mortifica te, & muta affectionem tuam, & juvabimus te. Sed quomodo illā (dices) ego nunc mutare potero ut pote inveteratam? Intra in temetipſam, agnoſce inobedientiam tuam, conſidera divinam eamque infinitam majeſtatem Creatoris tui cujus dominio & voluntati debes in omnibus obſequium; attende quod ipſe dixerit; *Qui Eccleſiam meam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus.* Puta eum tibi ſic loqui: *Audi Filia & vide & inclina aurem tuam; obedi mihi per Eccleſiam meam ad te loquenti. Ubi eſt igitur fides tua? qui ſummum meum interris Vicarium audit, me audit; qui eum ſpernit me ſpernit, ne allegaveris te id non poſſe: ſufficit enim tibi gratia mea, cum illâ ſiquidem omnia potes.* Liberi porrò es arbitrii: potes tecum ipſa, efficaci propoſito ſtatuere, & dicere: Domine Deus meus cui debeo totum id, quod ſum, da mihi gratiam tibi ad nutum humiliter obediendi, præcepiſti mihi per Eccleſiam ſanctiſſimam ſponſam tuam matrem meam, frequentare Parochiam meam, ſaltem Dominicis & Feſtis majoribus, ſi id cōmodè facere potero: ut quid, mi dulciſſime Domine, ego creatura tua tibi non obſequor hilariter? ut quid ego ingrata famula tua non obaudio pleno corde ſuaviſſimæ voluntati tuæ, dixiſti, fiat lux, & facta eſt lux, vocâſti ſtellas, & dixerunt adſumus. Tu Deus vocabis

me

me & ego non reſpondebo tibi? non erit ita per gratiam tuam: ecce antiquam erroneam conſvetudinem meam rumpo, & amore tui Parochiam meam ex nunc frequentare aggredior. O filia! ſi ita egeris, abundabis meritò pace & gaudio.

Q. 48. Quid devotariam retinere ſoleat, ne redeat ad ſuam Parochiam freqventandam, ſaltem pro audiendo Verbo Dei juxta obligationem Trident?

Reſp: Quòd præcipua catena hujus retentionis ſit quidam affectus oppoſitus amoris proprii erga Confeſſarios non Parochianos ſive Regulares certi Ordinis, ex quo reſultant varii tenues reſpectus humani, contra quos prævalere neſcit timor Domini ſanctus, ſtimulusque conſcientiæ intus alioquin ad obedientiam Decretorum Oecumenicorum non parum ſolicitans, fæminei iſti & pueriles reſpectus ſunt, ſi ego quæ hactenus vix ſemel fortaſſis in anno vel etiam in vita Parochiam adivi pro Parochi mei Miſſa & Verbo Dei audiendo juxta Canones: Si, inquam, id jam facere incipio, quid cogitabunt homines de inconſtantia mea? quid dicent aliæ ſociæ meæ ejusdem habitus & ejuſdem hactenus ingenii? quomodo ferre valebo earum exprobrationes? vocari ab eis, profugam & parochianam? Ad quod reſpondeo, iſta eſſe puerilia terricula-
menta,

menta, ideoq; negligenda, vel propter amorem Dei, libentiſſime toleranda, absque ullo ad ea reſponſo, ſpes enim & ſalus noſtra non eſt in linguis opinionibuſque hominum; ſed in Dei verbo ejusque ſanctiſſimo beneplacito ac voluntate, cui amorosè obedire, vivere eſt, immò & ſanctificari: voluntás enim Dei (inquit Paulus) ſanctificatio veſtra.

Eſt & alius inanis reſpectus timoris humani de ſuo Confeſſario Regulari, & Confratribus ejus: quid dicent, quid cogitabunt, quid eis reſponderi poſſit, cùm reuocabunt, aut ingratitudinem pœnitentis exprobrabunt, ſuas ipſorum deluſas operas, labores, ſollicitudinem, & ſi quid aliud. Ad quæ reſpondeo, quod vix adducor, vt credam iſta fieri aut obijci à Religioſis: nam cùm Confeſſarii & directores iſti debeant eſſe viri probi pleni charitate diuina erga proximum, cujus ſalutem zelent in Domino, habent potiùs unde gaudeant ſe non parùm profeciſſe, cùm filias iſtas laicas ſpirituales induxerint efficaciter ad obediendum Sedi Apoſtolicæ, in frequentatione parochiæ juxta Eccleſiæ Decreta.

Eſt & aliud quodpiam retinaculum nuper à quadam ſæculari deuotaria inſinuatum, ipsâ ſcilicet valde anxiam remanere de obligatione ad concionem Parochiæ, nam ſecum ita diſputabat: fortaſſe non eſt verum me ad id obligari,

obligari, ea enim eſt opinio Religioſorum illius Ordinis de quo eſt meus Confeſſarius quos ego cenſeo omniū hominū doctiſſimos: unde dicebant mihi nuper, etiamſi ire ad Parochiam pro concione, ſit perfectionis aut ſupererogationis, non eſt tamen ullius in conſcientia obligationis, noli igitur angi ullo ſcrupulo tanquam ſi ad Parochiam eſſes obligata, fide nobis, eſto de hoc ſecura, totum aſſumimus ſuper conſcientiam noſtram: ſic mihi hîs diebûs loquebantur: tamen non ideò ſum adhuc coram Deo pacificata & ſecura: nam ecce publicè in templo Stationis Ciuitatis per plures continuas conciones docemur, ſeriò obligari: & quidem Ipſemet Prædicator ut oſtendat ſe loqui non de ſuo, allegat Canones, adducit proprios Concilii terminos, item authoritates Patrum, argumenta, rationes: addit inſuper mandatum eſſe per Sixtinam Regularibus ſub pœna Excommunicationis ne prædicent populum non teneri ad Parochiam: neue populos quoquo modo abſtrahant à frequentatione Parochiæ. Deinde etiam Prædicator ait Regulares per Bullam Clementis Octaui obligari ad monendum & exhortandum nos ire ad Parochiam & tamen id non faciunt: quo fit vt ex nunc proponam ire ad Parochiam cum Dei gratia. O rectè deliberatum!

Q. 49.

Q. 49. *Si Episcopi non manuteneant supradictū Canonem de obligatione ad Verbum Dei in Parochia inter Missarum solemnia, an inde sequatur præjudicium?*

Resp. Quòd sic & quidem longè maximum. Primò enim inde consequentur omnia illa gravissima incommoda quæ enumerantur à S. Carolo Cardinali in suis Provincialibus Literis, sexto Mediolanensi Concilio Provinciali insertis, & à nobis posteriori parte de Missa, inserendis; quæ incommoda utinam bene expendantur. *Secundo*, Si in hoc Belgio & partibus Flandriæ, prædicta Decreti oecumenici obligatio non manuteneatur ac sarta tecta diligentissimè conserventur, fit nobis re vera per omnes has populosissimas Parochias, notabilissima in Spiritualibus injuria: ratio est quia cum in Flandria nostra desit beneficium sanctæ Inquisitionis, nihil nobis superest in Belgio, quod vicem ejus & officium quasi supplere possit, quàm hæc sacri Concilii obligatio bene protecta & executioni mandata. Undique enim hic vallamur & pene commiscemur Nationibus Anglorum, Francorum, Germanorum, & præsertim Hollandorum: Immò in singulis urbium nostrarum Parochiis multi latitant aut hæretici, aut suspecti, quorum conversatio & sermo vt cancer serpit, ac simplices imperceptibiliter inficit. Alii denique

sunt,

sunt, Catholici quidem, sed frigidi & sensuales, qui vix unquam fortasse audiunt verbum Dei: suntque homines vitæ & conversationis plane ignotæ, sicut & eorum familiæ. Magnum certè periculum & malū! cui interim abundè & convenienter occurritur in Italia per sacræ Inquisitionis Officiales vigilantissimos. At verò hic, ubi dicta Inquisitio locum non habet; quid quæso tandem superit Spiritualis remedii certi & fixi, pro Dominis Parochiarum Pastoribus erga gregem suum dilectissimum, adversus prædicta formidanda mala: Si Reverendissimi Domini Ordinarii, præfatam fidelium ad proprias Parochias, sapientissimè à Spiritu sancto inspiratam obligationem non manu teneant? foveant? protegant visitent atque defendant? Quo enim alio efficaci modo via ac titulô, poterit Curatus in ignototum ejusmodi hominum vitam inquirere? quomodò ei poterit constare an singuli sciant necessaria ad salutem? An audiant salutare Dei verbum? An Divina frequentent? An practicè sint boni Christiani nec ne? præsertim hoc libertinô ac corruptissimô sæculô? Quid sic plurimi & plurimæ, dictis sanctîs diebûs, nullibi locorum rem sacram, nec concionem audiant? Quid si è contra, istis neglectis aut forsitan contemptis; exerceant alibi in tabernis compotationes &

convivia?

convivia? vel quod pejus eſt, in latibulis neſcio quibus, ex condicto habeant conventicula hæreticalia? ſicut credibile eſt ita nonnunquam fieri.

At verò jam conſideremus difficultatem remedii. Ponamus Dominum Parochum eſſe zeloſum pro ſuo grege; & quod iſtiuſmodi homines convenire aggrediatur, rogetque eos de ſua converſatione? quomodò ſe gérant in ſpiritualibus boni Catholici exercitiis? vbi verbum Dei audierint? Cur non interfuerint ſuæ Parochiæ; Nonne illi facillimè Curatum ſuū eludent, dicendo effronti quadam audacia ſe alibi concionem audiviſſe? in aliis Ecclesiis debitum ſuum probè expleviſſe? licet fortaſſe ſplendidè mentiantur? Et (quod nodus eſt) nonne ad manum habebunt hanc omnibus Paſtoribus metuendam reſpondendi induſtriam? Non tenemur, non obligamur in conſcientia Patochiæ noſtræ intereſſe, nullum Eccleſiæ aut Sedis Apoſtolicæ Decretum violamus, non peccamus. Ad hæc quid quæſo dicet? quid aget zelator Parochus? nonne manent iſti licentioſi homines ſine ſolido & efficaci legis remedio?

At verò, vigore Decreti Sacræ Synodi, accuratiſſimè cuſtodito: benè commendata & etiam pro ſuggeſtu efficaciter inculcata ſupradicti Canonis ad Parochiam obligatione, ejusque

que fideliſſima praxi diligenter curata & continuata: habet Dominus Parochus, unde conſtanter & efficaciter ſuos poſſit convenire de ſuo debito: habet unde ei conſtare poſſit de eorum vita & converſatione, quod Eccleſiam frequentent, ſacramenta recipiant, Deum colant, verbum Dei audiant, Catechiſmo interſint, publicationes Bannorum, Iubilæorum, Supplicationum publicarum, Feſtorum, jejuniorum, & ſimilium certò ſciant, & denique neceſſaria ad ſalutem diſcant: de omnibus iſtis, inquam, facile Domino Paſtori conſtare poteſt. Si enim ſingulis diebus Dominicis & Feſtis juxta Canonem, propriæ interſint Parochiæ, manifeſtè ſatis ſit Concilio, & Paſtoris deſiderio: ſin autem aliquando abſunt, zelator Parochus tunc majori cum authoritate & fundamento inquirit de cauſa, & in frequenter abſentium vitam, mores, & converſationem ſecuriùs, certiùs, ac utiliùs animadvertit.

Itaque dici vix poteſt quàm ſit ſalubris ſacræ Synodi memoratus Canon, obligationem ad Parochiam continens; imò quàm ſit neceſſarius ad reformandam ſpiritualem Parochiarum diſciplinam; ad varios libertinos ignotos, & ad Divina parùm aliunde voluntarios, mediante, ſuper legem fundatâ, bonorum Paſtorum animaduerſione, compellendos

in

in securiorem salutis viam. Vt proinde sit enixè optandum vt Reuerendissimi Domini Ordinarii pro demandata sibi à Concilio sollicitudine, stent viriliter & invincibiliter à partibus istius sacerrimi Ecclesiæ Canonis.

Q. 50. An non possint inveniri quædam svàvia remedia, quibus plebs parvo negotio redeat ad freqventandam Parochiam juxta Canonem sacræ Sinodi, cum bona interim pace Regularium & Parochorum?

Resp: Quòd sic, ut illorum tamen remediorum utilitas, meliùs apprehendi possit; prænotandum omninò est varios in his Flandricis Provinciis inolevisse modos & praxes aut saltem occasiones, divertendi plebem à suæ Ecclesiæ parochialis freqventatione ad Ecclesias Regularium; omninó tamen, ut existimò, præter mentem Summorum Pontificum: Et vt sint sanè, alii multi modi abductionis istius, de quibus mentionem facturi sumus in posteriori parte hujus Tractatus, vnus tamen est modus, aut potius occasio specialis, quæ hic venit attentissimè perstringenda: illa porrò ortum habet ex Bullis Summorum Pontificum concedentibus Indulgentias Plenarias extraneis Ecclesiis præsertim tamen Regularium, ratione Confraternitatum variarum, in diversis Ordinibus, aut alibi, ex Indulto Apostolico institutarum, aut ratione solemnitatum locali-

localium quæ frequentes occurrunt in diversis Religionibus aliisque Ecclesiis. Nam verbi gratia, cùm Patres Dominicani habeant Indulgentiam Plenariam ratione Rosarii unâ ex Dominicis, cujusque mensis. Ut & Franciscani aliâ cujusque etiam mensis Dominica, ratione Chordæ; & Carmelitæ ratione Scapularis Nostræ Dominæ de Monte Carmelo. Et Augustiniani ratione Cinguli, & aliæ quædam Ecclesiæ alio titulo, fit ut in celebribus Urbibus, vix aut paucæ admodum supersint Dominicæ in anno ab Indulgentia Plenaria liberæ; at verò populus ratione lucri talium Indulgentiarum facilè & ordinariè deserit Parochiam vt confluat dictis diebus ad externas illas Ecclesias non sine justa certè & penè continuà lamentatione Pastorum, qui vix videntur de remedio ullo sperare posse in restituenda Parochiarum frequentatione. Nisi fortè aliquando contingeret per singularem Dei providentiam familiari quadam fidelitate *Sanctissimum Dominum Nostrum* penitiùs informari ab aliquo servo Dei de conditione, statu, & natura populorum Belgii, & Flandricarum Provinciarum, apud quos penè hactenus Parochiales Ecclesiæ vehementer floruerunt populorum frequentia & Sacramentorum crebrà perceptione, & divinorum Officiorum verbique Dei pientissimâ ac diligentissimâ auditio-

ne: nunc verò (quod deplorandum eſt) non ita. Quid ſi conſulerentur & cum tota animi demiſſione rogarentur. *Illuſtriſſimi ac Reverendiſſimi Domini R. S. E. Cardinales*, de excogitando quopiam ſvavi modo retinendi Parochianos pro audiendo verbo Dei inter Miſſæ parochialis ſolemnia in propria Eccleſia? ita tamen vt non fruſtrarentur acceſſu Eccleſiarum Regularium ſive externarum, & fructu indulgentiarum ibidem lucrandarum, occurrentium in Dominicis aut Feſtis majoribus, quibus tenentur intereſſe Parochiæ ſuæ, juxta Concilium Tridentinum? Interim, tamen, dum id præſtolamur, & excogitandum ab *Illuſtriſſimis Dominationibus* & proponendum *Suæ Sanctitati* mihi ſolatio erit apud memetipſum ruminari (inefficaciter licèt) quempiam remedii modulum qui fortaſſe poſſit videri non inidoneus, vtpote ſua jura Parochiis & Paſtoribus conſervans, & ſimul ſua privilegia & Indulgentias Regularibus non impediens. Is autem modus eſſe poſſet, isque breviſſimus: Vt, ſi hujusmodi Indulgentiæ cadant in Dominicas & Feſta majora: ita quidem fidelibus concedantur, ut Parochianis tamen lucrandæ veniant cum conditione eodem die intereſſendi Parochiæ ſuæ in Miſſa Parochorum ad audiendum verbum Dei, ſi commodè fieri poſſit. Is modus videtur valdè compendioſus; pacis

& ami-

& amicitiæ inter Parochos & Regulares conciliatius, neutris quæ ſua ſunt auferens, con venientiſſimè, avidam Spiritualis lucri plebem, ad Miſſam Parochi ſui alliciens, ſicque illam paulatim quaſi inſenſibiliter ſine ullo violento compulſu, aut clamore, Parochianam reddens, idque ſolius *ſuæ Sanctitatis* expenſis, ut ſic loquar: id eſt, ſolâ hac jam dictâ conditione, ſuæ conceſſioni adjecta & absq; ullo dubio ab omnibus lubentiſſimè amplectenda. Quid habent ibi quo ſe commoveant Regulares? quid non habent ibi quo lætentur Paſtores? quomodò exultarent Belgicæ Provinciæ, ſibique de tam divino remedio congratularentur paſſim Parochiæ Flandricæ? quomodo univerſi gratias agerent Chriſto Domino, & Summo ejus in terris Vicario? Si dicas, poſità illâ conditione intereſſendi Parochiæ illo die, multos de plebe fruſtrandos fore lucro Indulgentiæ Regularium, cum non omnibus vacet intereſſe Miſſæ Parochiæ? Reſpondeo ideo nos uſos fuiſſe verbis Concilii: *ſi commodè fieri poteſt*, ut parochianus ſcilicet interſit; *ſi enim non poteſt commodè*, ſicut tunc per Synodum liberatur ab intereſſendi obligatione; ita per ſuam *Sanctitatem* liberaretur ab illa adjecta conditione Indulgentiæ, & absque ea indulgentiam lucraretur. *Dignetur ſvaviſſime Domine* Jeſu Chriſte, mihi indulgere invi-

ctissima bonitas tua, omnia peccata mea, si quæ egimus bona, tua sunt, si quæ scripsimus aut pro suggestu diximus vera, à te sunt: *Et quidem* (Gregorii est in calce operis Moralium) *mala me aliqua etsi dixisse non invenio: tamen quia omnino non dixerim non defendo: Cæterum Ecclesiæ Sponsæ tuæ judicio mea omnia & me totum humillimè submitto.*

Finis Prioris Tractatus de Verbo Dei. Sequitur posterior de Missa.



TRA-

TRACTATUS II.

De debito Missæ Parochialis audiendæ diebus à Concilio Tridentino statutis.

Q. 1. *AN Ecclesiæ Romanæ Christi Sponsæ, aliquid statuenti, & faciendum, Spiritu Sancto inspirante, ordinanti, non sit affectuosè, & reverenter obtemperandum?*

Respondeo. Quód sic, qui enim præfecit Petrum ovibus, indubiè ex adverso, subjecit oves Petro: unde ex eo quòd astrinxit Petrum ex officio, ad pascendum eas: ex consequenti adstrinxit easdem ut pascantur ab illo. *Pasce oves meas*, expresse dixit Petro: Pascimini ab eo, dicit ovibus implicitè: Alioquin qui Ecclesiam noluerit habere & audire matrem, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Quàm autem sit reverenter obediendum ordinationibus Ecclesiæ, Monet his verbis sanctus Agatho Papa 19. distinct. *Sic omnes Apostolicæ Sedis sanctiones accipiendæ sunt, tamquàm ipsius divi à voce B. Petri firmatæ.* Quam verò sit grave peccatum iis nolle obedire, docet S. Damasus causa 25. quæst. 1. *Violatores Cano-*

num voluntarii, graviter à SS. Patribus judicantur: & à Spiritu ſancto, cujus inſtinctu ac dono, dictati ſunt, damnantur: quoniam blaſphemare Spiritum Sanctum, non incongruè videntur, qui contra eoſdem Sanctos Canones, non neceſſitate compulſi, ſed libenter, ut præmiſſum eſt, aliquid, aut protervè agunt, aut loqui præſumunt, aut facere volentibus, ſpontè conſentiunt.

Q. 1. Quotuplicibus Statutis Sedes Apoſtolica regit fideles ſibi à Chriſto commiſſos?

Reſp: Quòd duplicibus, Partim ſcilicet iis quæ ſunt præcepti, id eſt continentibus præceptum; & proinde obligantibus in conſcientia, atque ideô ſub peccato. Quale monſtravimus eſſe illud ſeſſ. 24. cap. 4. de Verbo Dei audiendo in propria Parochia, in Concilio Trid.

Partim aliiſ quæ ſunt ſimplicis ad ſalutem directionis: conſtantque regulis conſiliatoriis, monitoriis, exhortatoriis, inductivis; quibus ea populo Dei præſcribi ſolent facienda, quæ Spiritui ſancto viſa ſunt eſſe ſalubriora ut proinde Paſtores ſummo Eccleſiæ Romanæ Paſtori ſubjecti, non poſſint nec debeant ſacris illis Conciliorum vel Papæ directionibus contravenire, nec ſua ipſorum conſilia iſtis contraria populo ingerere: multò minus id poſſunt facere Confeſſarii ſimplices, aut quivis Regulares, quibus plebs Parochiarum non eſt ſubdita.

ſubdita. Si enim ex indulto Sedis Apoſtolicæ, aliquid operari permittantur, meminiſſe debent ſe id habere ex ſola ſimplici commiſſione, in aliquale Paſtorum ſubſidium, qualia ſunt prædicare & Confeſſiones audire. Commiſſarius porro commiſſionem ſuam excedere non debet, præſertim vbi ſuæ talis Commiſſionis functiones & actus ſunt determinati, verbi gratia, abſolvere & concionari: quas nihilominus functiones ita exercere habent ut ſerviant intentioni committentis, id eſt debitè illas expleant & ſicut oportet: ſiquidem non operari, ſed benè operari, dignum eſt laude & præmio. Neque enim (inquit Card. Bellarminus) coronantur verba, ſed adverbia. Itaque Regulares Confeſſarii Sacramentum illud Pœnitentiæ adminiſtrando, cavere omninò debent ne pœnitentibus aliquid inſinuent quod ſit Eccleſiæ & Conciliorum Ordinationibus & Conſiliis repugnans, ſi facta eſt iis præpprædicandi commiſſio, debent convenienter prædicare, id eſt non ſeipſos, & ſuum intereſſe, ſed Chriſtum, non ſuam ipſorum ſed Chriſti & Eccleſiæ ejus doctrinam, quod certè non faciunt ſi dum Eccleſia in Oecumenico Trid. Concilio ſtatuit & jubet publicari: *Populum teneri ad Parochiam ratione verbi Dei in Miſſa audiendi*, Ipſi è contra, aut in Confeſſionali privatim, aut in ſuggeſtu publicè, præ-
 ſumunt

ſumunt docere non teneri, ſive, quod idem omninò eſt, non obligari: Aut ſi ubi Concilium hortatur ad Miſſam Parohialem, ipſi ex adverſo dehortantur. Vel ſi etiam, ubi Sedes Apoſtolica expreſſô præceptô mandat Regularibus, ut ſeriò, & freqventer, quà catechizando, quà concionando, exhortentur, moneantque populum ut audiant Miſſam ſuorum Parochorum; ipſi è contra non obediunt neq; hoc prædicare volunt: aut ſi ſemel in anno, de hoc in alicujus Eccleſiæ Parochialis Dedicatione, rogatu Parochi, unum verbulum dicant inter concionandum non tam id præſtare videntur in commendationem Statuti Synodici, aut Pontifici, favoremque Juris Paſtoralis, & freqventationis Parochiæ; quam in præjudicium eorumdem. Totum enim illud quod dicere ſolent, eſt: Quod ſi qui aut quæ velint diebusDominicis & Feſtis frequentare Parochiam ſuam, non malè faciant: quin etiam bene faciant quidem, ſed tamen revera, nulla penitus ad id ſit obligatio conſcientiæ: Quod interim eſt expreſſe contra textũ prædictum Concilii Trid. ſeſſ. 24. cap. 4.

Q. 3. Quo loco Concilii Trident: ſit Statutum de Miſſa Parochiæ? & quale ſit?

Reſp. Quòd inveniatur in ſeſſ. 22. in Decreto de obſervandis & vitandis in celebratione Miſſæ, ubi Sacroſancta Synodus poſt nonnulla

nulla alia, quæ jubet circa Missam cavenda aut servanda. hoc subjungit.

Statutum de Missa.

Doceant Populum, quis sit, & à quo potissimum proveniat Sanctissimi hujus Sacrificii tàm pretiosum ac Cælestis fructus. Moneant etiam eumdem populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis & majoribus Festis accedant.

Quod autem hoc Decretum de frequentanda Parochia pertineat ad Missam non est dubitandum; tum quia titulus capitis est de Missa. Tum quia toto capite non agitur nisi de Missa & spectantibus ad eam. Tum denique quia (ut in textu jam allegato patet) postquam actum est de fructu sacrificii Missæ commendando, statim immediatè subjungitur, *Moneant etiam, &c.*

Q. 4. An Statutum illud de Missa Parochiali audienda, sit primi, an verò secundi generis: id est, An sit Præceptum, an verò Regula simplicis ad salutem directionis?

Resp: Pro nunc supponendum esse, ac si sit simplicis Directionis, quidquid sit interim de rei veritate, quæ in sequentibus poterit probabiliter etiam in alteram partem expendi: Continet nihilominùs hoc præmissum Concilii Statutum manifestissimam Ecclesiæ intentionem & absolutam voluntatem, populo per Episcopos seriò intimandam, ut dictis diebus intersit

ſit Miſſæ Parochiali: quòd omninò præſtandum eſt cum ſimplici & humili obedientia ac Chriſtiani animi promptitudine.

Q. 5. *An non ſit perniciosſum bono animarum ſpirituali ac ſvavi Matris Eccleſiæ, per regulas monitorias & hortatorias regimini, quòd non quæratur, nec curetur amplius an Eccleſia Romana ordinet, ſtatuat, velitne aliquid fieri? ſed tantum an ſub peccato?*

Reſp: Quòd ſic: Et quidem talis inſuſurratio & clandeſtinum conſilium quorumdam non poteſt eſſe à Spiritu Dei. Primo quia repugnat conſiliis, monitis, & ordinationibus Eccleſiæ quæ regitur à Spiritu ſancto: Et deſtruit ex toto eam alteram regiminis Eccleſiæ partem, quâ regit, dirigit docet, moderatur & gubernat ſvaviter per hortativas & planè maternas ordinationes. Quæ ſi ita negligantur paſſim & iis non obtemperetur, metuendum merito eſt, ne in poſterum paulatim præcepta negligantur. At vero iis poſthabitis & neglectis, facilè veniri poſſet usque ad defectionem fidei, quæ neceſſariò poſtulat omnem reverentiam & animi ſubmiſſionem ad ſanctam Sedem, ejusq; ſuper totum Chriſtianiſmum ſupremam in terris authoritatem. Non enim procul eſt ab iſto periculo, qui omiſſa reverentia & obedientiali affectu ad Romanam Sedem ejus dedignatur directivas regulas, monita

nita & ſtatuta præ hominum conſiliis Eccleſiæ conſilio contrariis.

Secundò, quia repugnat animarum promotioni ad majorem perfectionem: perfectius enim eſt ultra præcepta implere etiam Eccleſiæ ſacroſancta monita & conſilia, quàm ſola præcepta: quæ alioquin pauca admodum ſunt. Et verò qui attendere non vult ad Chriſtum Eccleſiamque monentem, ſed dumtaxat ad præcipientem, convincitur quidem timere, ſed non convincitur eam amare ac diligere: qui autem non diligit, quid meriti aut perfectionis conſequi poteſt præcepta exequendo?

En quantum damnificentur animæ, & regimen Eccleſiæ, dum plebs à Paſtoribus ad humiliter parendum Eccleſiæ monitis excitata, tandem aſſueſcit renuere, multumq; ſubtiliter ſe defendiſſe, & Parochis reſpondiſſe putat, cum ex quorumdam occulta inſuſurratione reſpondet conſtanter, *Se non teneri, nullamque Eccleſiæ obligationem ſub peccato, exſtare.*

Q. 6. An inſtructio quorundam data ſæcularibus, ut reſpondeant ſe non obligari ad peccatum, ſit damnoſa?

Reſp: Quantùm ea reſpondendi doctrina ſit perniciosa, quantumque ſpiritualis damni, populo ſimplici, afferat hujuſmodi improvida ſubtilitas diſtingvendi inter præcepta & monita; colligere eſt ex indebito fine & ſcopo:

Ideò

Ideò enim, uti diſtinctione inter illa duo, apud filias ſpirituales ſæculares (quarum in Parochiis Flandriæ multæ & magnæ ſunt catervæ) & alios plebeios; eoque fine ut poſteriora, id eſt, *Monita* & Eccleſia ſtatuta hortatoria ſubticeantur, ſupprimantur; nemo doceat, nemo hortetur, nemo catechiſet, nemo prædicet, nemo inculcet, nemo commendet eſſe obſervanda, & quidem ſic ut è contra, ſi quis id ſerio facere aggrediatur, mox audiat ſubinde à nonnullis ſibi reſponderi: Eſtne quoad illam conſtitutionem, obligatio nobis impoſita ſub peccato? tenemurne in conſcientia ad illam monitoriam & directivam Eccleſiæ voluntatem? offendemusne Deum ſi non obedimus? illa quæſo tergiverſandi inſtructio eſt nē toleranda? quantum certè, eo fine facta diſtinctio intet præcepta & monita, taliſque ita reſpondendi inſuſurrata induſtria, noceat, hinc patet, quod viam aperiat ad ruinam boni publici, & perfecti regiminis omnium Communitatum, Rerumpublicarum & familiarum.

Quis quæſo erit ordo in domo, cujuſcunque Patrisfamilias, aut heri; ſi ſervi & ancillæ, ſi filii & filiæ, nullis ejus ordinationibus ac voluntatibus obſequi voluerint, niſi prius eis ſignificetur & conſtet eum præcipere ſub peccato? obligorne ad tuas ordinationes

ſub

ſub peccato? alioqui non obedio. Nequidem in exercitu ſic reſponderi ſolet: Dico enim (ajebat Centurio) huic militi meo vade & vadit; & ſervo meo fac hoc & facit, veni & venit: quod & Chriſtus vehementer laudavit: Quanto igitur magis in hoc myſtico Chriſti Corpore, parendum eſt directionibus & voluntatibus illius Magnæ & Sanctiſſimæ Matris familias, quæ eſt Sponſa Chriſti, Romana Eccleſia?

Non inficior debere diſtingui inter præcepta (ut potè obligantia ad peccatum) & ſtatuta monitoria ſimplicis directionis: ſed eo fine diſtingvere, ut ſola priora ſerventur: & poſteriora nequaquam; ſed potius negligantur, non curentur, nec cuſtodiantur, id non eſt ferendum.

Alioquin, in ſimili obteſtor ipſorum Religioſorum fidem: Nunquid Patres Capucini, præter vota eſſentialia & ſuæ Regulæ Franciſcanæ præcepta, habent ſtrictiſſimas ſuæ reformationis vitæ ac diſciplinæ conſtitutiones, ad nullum prorſus, ne quidem veniale peccatum obligantes? ita planè. Nonnè & Patres Dominicani ſuas? nonnè & Patres Jeſuitæ ſuas regulas & ſtatuta nullius omnino ad ullum peccatum obligationis? ita eſt. Nunc ad propoſitum, Paterenturne ſuperiores ea infringi? diſſimularent ne ſi quis ea non obſeruaret?

Nonnè

Nonnè quotannis super hoc fiunt visitatorum Provincialium informationes, & transgressoribus pœnitentia vigilanter imponitur? Et cur quæso tam accuratè invigilatur harum constitutionum observationi? Quia utique sepes sunt ad muniendam votivam essentiam Religionis: Fundator quidem plantaverat vineam, sed Generale Ordinis Capitulum, subinde sepem circumdedit ei: sicut Christus fundavit Ecclesiam, munivit eam maceria præceptorum suorum, Concilium autem Generale, sepem Canonum & monitorum suorum circumdedit eis. Quam autem sint necessariæ ejusmodi sepes colligi potest ex eo quod Deus noster Isa. 5. pro magno supplicio minetur dicens: *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem: diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem.* Id est, propter demerita superiorum subtraham eis gratiam meam, & auxilia mea specialia, ut ex subsequentlbus palpabilibus ordinis prævaricationibus, ordo ipse discat, quàm sine ope mea, nihil possit, & himilietur. Nostris penè oculis vidimus declinationes & relaxationes plerorumq; Ordinum Religiosorum, proh dolor? & id unde? nisi ex neglectu suarum sepium seu constitutionum? esto. non obligarent sub peccato ullo, nam ut habetur Eccles. 10. *Qui dissipat sepem mordebit eum coluber.* & Eccles. 36. *Vbi non est sepes, diripietur*

tur possessio. Id est, ex non observantia statutorum & salutarium monitionum facilè sequitur transgressio præceptorum, quia nimirum in statutis consistit cautio & bonum totius disciplinæ. Quod si ita est in Ordinibus Regularium, cur quæso in Ecclesia Christi, quæ est Communitas communitatum: Respublica rerumpublicarum, & exemplar omnis sancti Regiminis ac disciplinæ, non servatur ejus divina intentio, monita, directiones, constitutiones, ordinantiones, ac ejus sanctissima disciplina, ne populus tandem in pejora dilabatur?

Cur Confessarii & Prædicarores Regulares faciunt alteri nempè Ecclesiæ Romanæ Matri suæ, quod sibi ipsis non vellent fieri? nimirum negligi & non observari Sanctissima statuta superiorum legitimorum? & ipsimet Ordinum Provinciales, cur in visitationibus suis annuis non inquirunt unde lugeant desertæ Parochiæ? unde passim gemant Parochi privati aspectu & notitiâ & prisco conventu charissimarum ovium, quibus à Sancta Sede præfecti sunt? Cur non advertunt, num fortasse sui Religiosi non sint hujus mali & deordinationis causa? sive scribendo, sive concionando, sive priuatim suis familiaribus aut pœnitentibus colloquendo? si tale aliquid deprehendant, immò vel suspicentur, videant pro sua pru-

prudentia quomodo hoc possint convenienter impedire.

Q. 7. Quid dicere possent Visitatores Ordinum suis Confratribus pro tuenda ordinatione SS. Synodi super frequentatione Parochiæ, & Missæ Parochialis?

Resp: Dicere possent, '*Fratres mei, sumus Religiosi*, & obedientiam professi, sed & sumus filii. ac cooperatores sanctæ Ecclesiæ per ministerium Confessionis & prædicationis. Porrò quatenus nos Religiosi profitemur obedientiam regularem: perfectissimè scilicet parendo Religioni nostræ in monitis & regulis, & ordinationibus suis, debemus eatenus esse plebi Christi exemplum obedientiæ promptissimæ, ut ipsa quoque ad imitationem nostri promptè & sincero affectu obediat Ecclesiæ ni monitis & directionibus ejus. Simplices de plebe oculum figunt in Religiosos tanquam in vivum exemplar obedientiæ, proindè tenemur ex charitate eis in hoc dare bonum exemplum.

Quatenus verò sumus Ecclesiæ filij, eandem debemus sincerissimè amare, honorare, venerari, observare, colere, sequi, obedire ejus præceptis. Præcipit autem nobis arctissimè in Bulla Clementis 8. (de qua infra) ut seriò curemus monere, & exhortari frequenter fideles ut pareant Sedi Apostolicæ audiendo

Mis-

Missam Parochialem diebus Dominicis, & festis majoribus. Obediamus ergo humiliter; & facto & verbo plebeculam accendamus ad amorem, reverantiam & obedientiam sanctæ Matris Ecclesiæ.

Quatenus autem Cooperatores ejusdem Ecclesiæ sumus, juvemus eam ex animo, satisfaciamus intentioni ejus, reddamus illam populo amabilem, quia Sponsa Domini est, honorabilem, quia Magistra veritatis est; obedibilem, quia Mater est omnis sanctitatis, & organum Spiritûs sancti, exaltemus monita ejus, statuta ejus merè cœlestia, cōsilia ejus à Deo sapientissimè inspirata, quibus membra sua dirigit ad salutem; Quod si præstare nos decet, quanto magis oportet nos cavere ne contrariemur eidem Ecclesiæ, opponendo consilia nostra, consiliis ejus? nostra, inquam, merè humana, ejus planè divinis? nostra quæ quatenus nostra, falli & fallere possunt: immò & meritò (quatenus Ecclesiæ consilijs contraria) esse possunt suspecta, de occulta aliqua quæsitione nostri proprij interesse. Ecclesiæ autem Romanæ in universali Concilio congregatæ monita & consilia, tam certum est esse purè ad gloriam Dei, & solam animarum salutem; quam certum est Deum esse Deum. Non contristemus Pastores, meminerimus Sixtum 4. nobis prohibere ne ullo modo popu-

los à Parochiæ frequentatione abſtrahamus, idque ſub excommunicatione ipſo facto incurrenda. Itaque audiatur Spiritus ſanctus 1. Corinth. 10. *Sine offenſione eſtote Iudæis & Gentibus & Eccleſiæ Dei.* Item 2. Cor. 6. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Si Paſtor *Chriſtus Dominus*, per Eccleſiam ſuam vocat gregem ſuum ad Parochiam, nos qui gregis canes ſumus latratu noſtro conſentaneo gregem eo convertamus, & dicamus gregi, *Vocaris* ſi vocet *Monendo*, dicamus conformi gregi, *Moneris*: ſi vocet præcipiendo, dicamus. *Teneris*. Et ſimul declaremus pænitentibus noſtris, fruſtrà ſperari perfectionem per ea quæ ſunt humani conſilij, neglectis & non impletis ijs quæ ſunt debiti.

Q. 8. An conſtitutio Tridentinæ Synodi ſupra Q. 3. poſita ſub vocabulo Monitionis expreſſa, non differat à nudo conſilio?

Resp. Quòd ſic: nam unuſquiſque poteſt mihi dare conſilium; ſive ſit Doctor, ſive Advocatus, ſive ſocius, ſive inferior meus; ſolius autem Superioris eſt, conſtitutiones facere, & per ſeſe, vel per ſuos miniſtros ad illas ſervandas, ſubditos monere. Deinde id quod eſt nudi conſilij, non eſt propriè debiti; ſed relinquitur libertati & optioni meæ: è contra verò res monita, & per conſtitutiones

ones à Superiore ordinata & dictata ; est debiti nec relinquitur nostræ optioni aut libertati. Vnde subiectus non potest respicere rem talem tamquam sibi indifferenté, non est enim amplius de numero obiectorũ indifferentium. Et Superior legitimus, licet possit & consilium dare, & ordinare seu monere ut aliquid fiat, aliter tamen facit hoc, & aliter istud. Nam viâ consilij nudi, dicit vellem ; viâ autem ordinationis, dicit volo, quæ, ut patet, multum differunt. Testes hujus distinctionis mihi sint ipsi Ordinum Superiores, qui in actionibus adiaphoris seu indifferentibus ac meræ libertatis, Subditos suos suo ipsorum arbitrio relinquunt quasi dicerent *Si quis hoc agat vel omittat perinde esto.* At in iis quæ sunt Constitutionum & Regularium directivarum quibus totius Communitatis disciplina continetur, esto non ligent ad peccatum, Superior non dissimulat si quis contravenerit, ac si diceret : *Hoc ordinavi & statui, Volo & Moneo ut fiat* : & consequenter animaduerti solet in inobedientes.

Nunc applicemus ad propositum nostrũ. Quod Parochiani audiant missam Parochiæ juxta Statutum Concilii Trid. supra Q 3. positum, non est nudi consilii, nec meræ libertatis, sed debiti. Debitum verò istud oritur ex natura constitutionis præfatæ, factæ à supre-

mo Iudice, Principe, & Superiore Christi fidelium. Ac si diceret: Ex authoritate statuo, ordino, volo, & per Episcopos moneo, sic fieri. Debet igitur ei obediri. Nam Superiores Ordinum, si quid efficaciæ & authoritatis habent in suis constitutionibus ad nullum licèt peccatum ligantibus, indubié habent à supremo Ecclesiæ Capite. Iam autem.

Æquumne est, ut supremi Capitis sacerrimæ Regulæ & Constitutiones langueant, jaceant, frustrentur, & inefficaciter subjectis ejus publicentur, & eis non obediatur; cùm tam arctè Prælati minores Regularium à suis subditis faciant suas observari; ideò valde cavendum est, ne hæc de Parochiali Missa Constitutio & expressa eam frequentandi *Monitio*, vel subticeatur à Prædicatoribus & Confessariis, dum tempus & locus aut occasio eam manifestandi requirit: vel ne dicatur esse quid indifferens & nudi consilii. Nam ex similibus intricandi & loquendi modis facilè omittit obedire simplex vulgus, & deviat à Regulis Ecclesiæ.

Q. 9. An non plus sit actionem aliquam esse consilii, quam esse licitam, & meræ libertatis?

Resp. Quòd sic. Quia posterius, non supponit aliud in Superiore, quam *Nudam permissionem* ut res fiat, habetque se Superior ad eam quasi negativè. At verò rem esse con-

filii supponit aliquid plus in Superiore, nempè velleitatem ac desi derium aliquod ut res fiat, ratione cujus, habet se quasi positivè ad rem illam.

Porrò utrique, id est, tam permissioni quàm consilio commune est quod includant virtute prohibitionem ne quis à re illa libera vel consulta, subditos impedire valeat. Hanc difficultatem & distinctionis doctrinam, infra applicabimus *Bullæ Clementis* 8. in qua agitur de audienda Missa Parochiali: quæ in quam Missâ Parochialis distingvetur ibi à nobis contra Missas Regulariũ, quæ respectu Summi Pontificis Clementis, ne quidem sunt consilii, sed meræ & nudæ libertatis.

Q. 10. An Concilium Trid. non munierit Episcopos remediô contra Parochi anos, Missam parochiæ frequentare nolentes?

Resp. Quòd sic, & quidem per hæc verba. quæ immediatè sequuntur post statutum de Missâ frequentandâ supra Q. 3. positum.

Hæc igitur omnia quæ summatim enumerata sunt, omnibus locorum Ordinariis ita proponuntur: ut non solum ea ipsa, sed quæcumq; alia huc pertinere visa fuerint, ipsi pro datâ sibi à Sacrosancta Synodo potestate, ac etiam ut Delegati Sedis Apostolicæ, Prohibeant, mandent, corrigant, statuant; *atq; ad ea inviolatè servanda, Censuris Ecclesiasticis; aliisq; pœnis quæ illorum arbitrio consitu-*

stituentur fidelem populum compellant: *non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus ac consuetudinibus quibuscumq;.*

Ubi nota, quod Concilium, dicendo *Hæc igitur omnia*: comprehendit etiam ordinationem de Missa in Parochiis frequentanda inter octo siquidem puncta, quæ toto isto Decreto, Episcopis curanda injunxit, omnium ultimum est de debito Missæ frequentandæ, quod proinde continetur sub vocula demonstrativa, *Hæc*, cujus natura est referri potius ad vicina, quam remota. continetur nihilominus etiam sub signo distributivo *omnia*; debitum enim frequentandæ Missæ, est unum ex iis quæ summatim enumerata sunt. Etenim si Concilium ponit *omnia*, ut nihil enumeratorum excludat quomodo auderemus nos excludere id quod Concilium non excludit, Missæ nimirum frequentationem? Proinde remedia illa in textu jam allegato expressa pertinent etiam ad curandam Missæ Parochialis frequentationem, Ideoque manent Episcopi benè muniti remediis adversus Parochianos vel Parochianas, Parochiam pro Missa Parochorum audienda, dictis diebus, frequentare negligentes.

Q. 11. An Episcopi per textum Concilii allegatum habeant sufficientem potestatem & media ad efficaciter curandam Missæ Parochialis frequentationem?

Resp. Quòd ſic: quia imprimis habent authoritatem ad id pleniſſimam & ampliſſimam à ſancta Synodo, tamquam Sedis Apoſtolicæ Delegati. Iſta autem poteſtas, adeò latè patet, ut ſe extendat etiam ad quæcumque alia quæ huc pertinere viſa fuerint, mādando, corrigendo, prohibendo, ſtatuendo, Cenſuris Eccleſiaſticis, aliisque pœnis arbitrariis populum compellendo, cum ſupra citatis, *Non obſtantibus &c.* Certè poteſtas illa Epiſcoporum adeo magna & ampla eſt, ut eâ uti liberrimè poſſint in Regulares, ſi quoquo modo à frequentanda Miſſa Parochiali populū divertant ac impediant. Vnde ſequitur quod cū inter iſtiuſmodi, *Quæcumq; alia quæ huc pertinere videri poſſent* (ut loquitur Synodus) maximè recenſeri habeant verba diſſuaſoria Prædicatorum & Confeſſariorum Regularium: ſequitur inquam Epiſcopū in eos agere poſſe mandando, corrigendo, prohibendo, ſtatuendo, ne ullis ſive directîs ſive indirectîs modis, plebis animos ab obedientià hujus ordinationis alienent aut retardent. Nec obſtat quod Regulares forte ſunt exempti aut privilegiati, vel quod per diuturnam conſvetudinem ſibi videri poſſent in poſſeſſione præſcriptâ: nam iſta omnia ſunt excluſa per hæc verba: *Non obſtantibus privilegiis, exemptionibus, appellatinibus, ac conſvetudinibus quibuscunq.*

Q. 12 An Ioannes Gallemart, & Emanuel Ro-

driquez

driquez rectè dicant Sacram Cardinalium Congregationem declarâsse Episcopos non posse uti Censuris, ad compellendum populum ad Missam Parochiæ?

Resp. Quòd non rectè id dicant: ut autē meliùs constet quid de hac re loquantur, citemus eorum verba. Dicit itaq; Rodriquez Quæstionum Regularium tom. 1, Quæst. 43. artic. 7. *Præterea* in eadem Congregatione, considerando verba dicti Decreti ibi *Monent etiam*; decisum est, quod populus monendus est, ut Dominicis & Festis majoribus Missas in suis Parochiis audiat, non est tamen ad id per Censuras Ecclesiasticas cogendus, hactenus ille. Ioannes Gallemart verò in suis Collectionibus decisionum & declarationum Congregationis Cardinalium super Concilium Trid. hanc annotationem habet: Vide Zerolam in praxi Episcopali parte 1. verbo Missa, ubi asserit sacram Cardinalium Congregationem censuisse non posse Episcopum cogere populum mulctis aut pœnis, etiam in casu notabilis negligentiæ aut contumaciæ, ire ad audiendam Missam in Parochia sua, hactenus citatus Zerola: Deinde Gallemart citat Franciscum Suarem super 3. partem Divi Thomæ, disputat. 88. sect. 2. opinantem quòd populus ad Missam Parochialem Censuris per Episcopos compelli non possit diebus Dominicis & Festis majoribus: adverto tamen Suarem eô locô tota

secti-

ſectione, non agere niſi de Miſſa præcepti contenti in cap. *Miſſus* ex Concilio Agathenſi; quærendo num Miſſa illa dicti præcepti pro diebus Dominicis & Feſtis ſingulis, debeat eſſe illa ſolemnis, quæ dicitur Parochialis & celebratur à Parocho in Parochia? Et reſolvit quod non, & conſequenter Epiſcopos non poſſe ad Miſſam dicti præcepti (ac ſi deberet eſſe neceſſariò illa Parochialis ſolemnis) populum per Cenſuras compellere. Quod totum etiam dicimus, ideoque Suares & alii, qui illo ſenſu de Miſſa agunt, contra nos non faciunt. Nos enim diſtingvimus inter Miſſam præcepti univerſalis, & Miſſam Parochialem, quæ & ſi non ſit præcepti, eſt tamen ſtatuti Eccleſiæ tamquam ſimplicis animarum ad ſalutem directionis; ſed de ejuſmodi Miſſæ diſtinctione infrà ex profeſsò loquemur. Maneat ergo populum Cenſuris, ad parochialem, dictîs diebûs, per Epiſcopos compelli poſſe, juxta verba Concilii jam Q. 10. citata.

Nec obſtant omnes illi Allegatores declarationem Congregationis: *Illuſtriſſimorum Cardinalium. Gallemart, Rodriquez. Zerolla. Marzilla, Soteallus, Farmacius, Horatius Lucius, Barboza.* Et ſi qui alii; nam extat Decretum expreſſum contra ſimiles Scriptores.

Q. 13. Quod ſit illud Decretum contra Gallemart, & ſimiles allegantes Congregationem Cardinalium? Resp.

Resp. Decretum ejuſmodi manâſſe anno 1621. eſtque tale.

Decretum.

Sacræ Congregationis S. R. E. Cardinalium à Sanctiſſimo D. N. Gregorio Papa XV. ſanctaq; Sede Apoſtolica ad indicem librorum, eorumdem permiſſionem, prohibitionem expurgationem; & impreſſionem, in univerſa Republica Chriſtiana ſpecialiter deputatorum, ubiq; publicandum.

SACRA CONGREGATIO Illuſtriſſimorum S. R. E. Cardinalium ad indicem deputatorum; viſo decreto ſuper prohibitione facienda omnium collectionum declarationum deciſionum ac interpretationum Congregationis Concilii tam impreſſarum quàm imprimendarum, infraſcripti tenoris: videlicet:

Cum nuper S. Congregationi Cardinalium Concilii Trid. interpretum, innotuerit, aliquot volumina declarationum, ementito ipſius Congregationis nomine prodiiſſe in lucem, quas in tenebris delituiſſe conſultiùs fuiſſet, quando nedum undiq; ſcatent erroribus, ſed alicubi etiam veræ ac germanæ Sacros. Synodi intelligentiæ prorſus adverſantur. Cumq; ejuſmodi editiones unde confuſio ac perverſio oriri facilè poteſt, graviſſimis etiam pœnis interdicantur conſtitutione ſanctiſſima Pii 4. quæ incipit, Benedictus Deus Illuſtriſſimi Patres, bonum ſemen ab inimici hominis zizania diſcerni, atq; œcumenicæ doctrinæ integritatem, ſalvam incorruptamq

ptamq; in Ecclesia Dei Custodiri, pro eo ac debent satagentes, sanctissimo D. N. Gregorio XV annuente.

Decreverunt indici librorum prohibitorum addendas esse omnes & quascunq; Collectiones declarationum. decisionum, seu interpretationum Congregationis Concilii, impressas vel imprimendas, præsertim verò editiones infrascriptas.

Sacri Concilii Tridentini decisiones & declarationes Illustrissimorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii interpretum, ad diversa exemplaria, præsertim, secundum correctionem Petri de Marzilla, operâ & studio Ioannis de Gallemart.

Declarationes Concilii Trid. ex Bibliotheca manuscripta Prosperi Farmacii.

Remissiones Doctorum qui varia loca Concilii Trid. incidenter tractârunt, Authore Augustino Barbosa.

Declarationes Cardinalium Congregationis Concil. Trident. una cum Ioannis Soteali & Horatii Lucii annotationibus.

Declarationes eorumdem Cardinalium, ex ultima recognitione Ioannis Gallemart, cum citationibus Ioannis Sotcali, & remissionibus Augustini Barbosæ.

Decreta Concil. Trid. ad suos quæque titulos, secundum juris methodum redacta, adjunctis declarationibus authoritate Aposto-

lica editis per Fratrem Vincentium de Marzilla.

In quorum fidem hæc propria manu subscripsimus, & sigilli Nostri impressione communiri fecimus. Datum Romæ die 29. Aprilis 1621.

R. CARDINALIS UBALDINUS

Ideò prædicta sacra Indicis Congregatio volens, quamprimum executioni mandare, ut par est, hujusmodi prohibitionem: Omnes supradictas collectiones, declarationes, decisiones, ac interpretationes Congregationis Concilii, cum impressas tum imprimendas, & præcipuè supra expressas præsenti Decreto ob id specialiter facto prohibet, mandans singulis cujuscumq; gradus & conditionis sub pœnis in Indice librorum prohibitorum, contentis, ne imposterum, à præsentis Decreti notitiâ, aliquas hujusmodi Concilii collectiones, declarationes, decisiones ac interpretationes imprimere, legere, vel quomodocumq; etiam sine alia superiorum licentia, apud se detinere audeant.

In quorum fidem, manu & sigillo Illustrissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Bruilacqua præsens Decretum signatum & munitum fuit, Die 6. Iunii 1621.

BONIFACIVS CARDINALIS BRIVILAQVÆ

Lo-

Locus Sigilli.

FR. FRAN. MAGDALENUS CAPIFERREUS Ord. Prædic. Secret.

Romæ ex Typographiâ Cameræ Apostolicæ M. DC. XXI.

Hoc igitur Decretum expressimus, ut appareat quam pauci sint momenti illæ allegationes sive Gallemartii sive Emanuelis Rodriquez, sive cujuscumque alius, quibus indicat Sacram Cardinalium Congregationem declarâsse Episcopos: non posse uti Censuris Ecclesiasticis mulctis aut pœnis ad compellendum populum ad Missam parochialem diebus Dominicis & Majoribus Festis: cum id sit expressè contra textum Concilii Trid. supra artic. 10 expressum; & Congregatio Sancta ostendat hic se tam alienam à similibus declarationibus quæ quomodocumque alterant Oecumenicæ doctrinæ integritatem, quam salvam incorruptamque in Ecclesia Dei custodiri, pro eo ac debent, hic satagere se dicunt.

Q. 14. An & quomodo S. Carolus Borromæus plebes ad frequentationem Missæ Parochialis reduxerit?

Resp. Quòd id diligentissimè curaverit, & inter alia media quibus ad hoc usus est in Concilio

cilio 6. Provinciali Mediolanensi litteras Divino zelo plenas ad omnes Episcopos suæ Provinciæ direxit hoc tenore, ante quas tamen hanc præmittit præfationem.

Canonum ratio & disciplina Ecclesiastica id maximè postulat, ut ad Ecclesiam Parochialem fideles quàm frequentissimè conveniant: id quod ab Episcopis accuratè eos moneri, Oecumenica Synodus Trid. piè ac salutariter decrevit. Ejus Decreti authoritate, ut pro eo quod debemus, planè obtemperemus: in usumque Provinciæ nostræ inducamus. quòd benè agendi rationibus, usuique optimè consultum esse animandvertimus, literas monitionis eo de genere infra explicatas hoc Provinciali Concilio 6. edimus, quas in omni parochiali totius Provinciæ nostræ Ecclesia, certis Festis diebus, quos pro suæ Diæcesis ratione Episcopus præstiterit, de more promulgari decernimus: quo diligentiùs Parochiales admoniti, cum officii religiosi partes facilè intellexerint, quas suæ quoque Ecclesiæ Parochiali debent, incitata quadam voluntatis propensione exequantur, quod de Sacrosancti illius Concilii sententiâ, eos salutariter & quam sæpissimè monitos esse volumus. Id verò non hæc nostra solùm Provinciali cohortatione monitioneque contenti Provinciæ nostræ Episcopi præstandum curent, sed omni aliâ præcipuâ pastora-

ſtoralis curæ ratione, quam ejus rei uſui accommodatiorem potioremque eſſe cenſuerint Porrò hujus noſtræ literas, quo faciliùs planiusque intelligat, indeque partes officii ſui non ſolùm cognoſcat ſed rectè exequatur, eas in vulgarem etiam ſermonem totas de verbo ad verbum converti, vel ſummatim vulgariter explicari, & ita Fidelibus enucliari iiſdem curent, prout Diæceſis ſuæ rationibus magis expedire videbitur.

Q. 15. Quæ ſit formula monitionis S. Caroli de conveniendo ad Parochialem Eccleſiam?

Resp. Eſſe, ut ſequitur.

Fuit olim tanti apud Antiquos Patres ille, frequens in Eccleſiam propriam parochialem Conventus, ut ad hanc diſciplinam populi Chriſtiani inſtitutioni valdè accommodatam retinendam, certis Decretis cautio aliqua adhibita ſit. *Primò* enim hoc juſſum eſt ut Dominicis Feſtisque diebus, Parochi antequam Miſſam celebrent, plebem interrogent an alterius Parochiæ fidelis adſit, qui proprio contempto Presbytero, ibi Miſſam audire velit, quem ſi invenerint, ſtatim inde ejiciant, & in Parochialem ſuam Eccleſiam, ad Miſſam audiendam redire compellant.

Deinde illud planè vetitum fuit, alienæ Parochiæ fidelem à Parocho ad Miſſam non recipi, niſi in itinere fuerit & placitum ibi habuerit.

erit. Cujus veteris disciplinæ restituendæ in usumque revocandæ desideriô flagrans olim Summus Pontifex Urbanus VI. eo de genere Apostolica Sanctione diligentissimè cavit, & nuper sacra Tridentina Synodus Oecumenica ab Episcopis Fideles non solum hoc moneri voluit ut frequenter ad proprias Parochiales Ecclesias saltem Dominicîs diebus, Festisque majoribus accedant, sed illud etiam diligenter ostendit. *Vnumqemq; teneri, ubi commodè fieri potest, Parochiæ suæ interesse ad audiendum verbum Dei* Ac proinde id præterea statuit, à Parochis animarumque Curatoribus inter Missarum solemnia aliquid ex iis quæ in Missa leguntur exponi, & sanctissimi illius sacrificii mysterium aliquod explanari, plebes sibi commissas salutaribus verbis pasci, easdemque doceri, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, in lege Domini erudiri, & sacra eloquia illis explanari, tum in unaquaque Ecclesia Parochiali pueros fidei rudimentîs instrui.

Colligit S. Carolus frequentandam esse parochiam, & qui inde fructus sequantur.

Hîs igitur ejusdem Tridentinæ Synodi Decretîs, & veteri salutari exemplo adductî; cum populum urbis, Diæcesis Provinciæq; Mediolanensîs nostræ, rebus ad salutem necessariis instructum, per bona opera ad præmium sempiternum perducere, summopere in Domino

cupi-

cupiamus : hac nostra, monitione eos universos & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ JESU CHRISTI obsecramus atque obtestamur, ut quamvis in vicis, oppidis, & suburbiis Oratoria, Capellas, aliasve Ecclesias habeant, ubi sanctissimo Missæ sacrificio interesse possint : frequenrer tamen Dominicis saltem aliisque solemnibus festis diebus, ad suam quisque Parochialem Ecclesiam conveniant : ubi à Parocho cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis ; aliisque animarnm saluti necessariis præceptis erudiantur, ad sanctissima sacramenta religiosiùs percipienda instruantur, ad eorumque frequentem usum ut illa sacra Synodus optat paternis ejus cohortationibus in dies magis imflammentur. Tum ab eodem item audiant, qui dies Festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ, jejuniave servanda sint, discant ab ipso, item quœ Christianœ pietatis officia, in illis religiosè colendis præstari oporteat, ac quæ præterea supplicationes, Processionesve, aut stationes, Orationes, Indulgentiæ, Jubilæa indicantur ; quæ matrimoniorum denunciationes fiant, quæ item pro ratione temporum. admonitu jussuve Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur.

tur. His atque adeò aliis fructibus, qui ex paternis Parochi vel in cohortando vel in monendo officiis existunt, eos carere contingit, qui ad Missam iis diebus, in suam Parochialem Ecclesiam non conveniunt.

Colligit S. Carolus quæ incommoda sequantur ex absentia à Missâ Parochia.

Immò verò quod hoc, audiendæ illis diebus Missæ Parochialis munus, à Fidelibus minùs diligenter præstatur, & à quibusdam planè negligitur, multa incommoda inde existunt. Hinc in plerisque sæpè fidei articulorum & Dei Sanctæque Matris Ecclesiæ præceptorum quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nôsse oportet, imperitia, Festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non exculta, non cognita Christiana familiarum institutio, langvescens Sacerdotum Parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus, Sanctissimorum institutorum & sacrorum Canonum violatus usus, hinc denique in Ecclesiis Parochialibus, quæ à majoribus tanto pietatis studio exædificatæ sunt instaurandis, ornandis, sartis tectisque habendis, cura multis in partibus neglecta, in illisque nulla aut pene exigua Ecclesiastica ad Divina officia obeunda, necessaria suppellex. His tot tantisque

malis

malis atq; incommodis unusquisque occurrere studeat, id diligenter exequendo quod *SS. Patrum* svadet authoritas: quod Tridentina Synodus moneri jubet, quod ex illius jussu nos de uniuscujusque vestrûm salute solliciti, Paternîs vocibûs cohortamur & monemus in Domino.

Adhibet S. Carolus motiva ad Parochiæ frequentationem

Nec veró quemquam aliquod, quod vel ex Parochialis Ecclesiæ aliqua distantia, vel ex pluvia, frigore, æstu, temporumve vicissitudine existit incommodum, ab hoc officio deterreat. Immò veró ad illud diligentiùs exequendum, prout in Domino confidimus, se quisque eorum accendat necesse est: qui salutis suæ memores hujus rei gravitatem; eorum, quæ commemorata sunt, ratione, perpendent; Quique aliquando secum animo reputabunt, non solùm Parochialem Ecclesiam sibi datam esse in qua primùm baptismô susceptô, Christo Domino renati, aliis Sacramentîs aluntur ad perpetuam salutem, sed Parochum etiam Sacerdotem sibi locò Parentis esse debere, quem diligant, colant, atque observent. Hoc sibi proponentes illum pro Fidelibus sibi commissis apud Deum internuntium, ac deprecatorem esse, Divinæ legis in-

 terpre-

terpretem, dispensatorem mysteriorum Dei, Christianæ vitæ & morum disciplinæ Magistrum, à quo omne petant piè recteque agendi consilium, ac denique Ministrum omnium ferè quæ ad salutem eis necessaria sunt. Huic autem nostræ monitioni, etsi omnes pro præcipua suæ salutis cura audientes esse debent. Imprimis tamen Patresfamilias, Tutores, Curatores, Ludimagistros, cæterosque aliorum moderationi curationive præfectos cohortamur, Divinaq; contestatione admonemus, ut de sua & aliorum quorum curam gerunt, salute solliciti primùm ipsi hæc Paterna monita amplectantur, tum illos etiam crebris cohortationibus ad illa exequenda inflamment, idq; curent ut non solùm Missæ & Divinorum Officiorum tempore, illi in Parochialem Ecclesiam conveniant, verùm etiam ut institutas in ea doctrinæ Christianæ scholas, statis illis diebus frequentent. Hactenus S. Carolus.

Q. 16. An S. Carolus tetigerit aliquid de officio Prædicatorum circa has & similes materias Parochiales & Episcopales?

Resp. Quòd sic, *Actorum* parte 4. Titulo. *Instructiones prædicationis e Vrbi Dei*, ubi has regulas dictat ex Decreto Concilii Provincialis Mediolanensis 3.

Omnem verò Concionum suarum vim ad Episcopa-

ſcopalis, Parochialisq́; gubernationis rationes accommodabit: Epiſcopi monita, juſſa, edicta, decreta, inſtituta ac diſciplinam omnem perpetuò commendabit, atq́; adeò tuebitur; ut Clerus & Populus concionibus ſuis benè excitatus, obtemperet pareat omni ſanctæ obedientiæ ſpiritu. Concionator quoq́; Regularis Parochorum curæ omnia prodeſſe ſtudebit: ita ſcilicet, ut non modò nihil quidpiam proferat quod Parochialis curationis officia interturbet, ſed omne ſtudium adhibeat, quò populus in omnes Parochialis curæ partes, piè ſancteq́; conformetur.

Et verò imprimis proponet ſæpè auditoribus Concilii Trid. decreta: ex quo tanquam ex puriſſimo fonte hauriet, quæ pertinent ad mores omnium ordinum corrigendos, fidem explicandam & Chriſtianam diſciplinam reſtituendam. Sic tamen facultate ſibi datâ utetur ut parochialem utilitatem & populi diſciplinam nuſquam ullo modo labefactet, ſed communiat omni ſtudio atq́; officio.

Q. 17 An Concionatores Regulares rectè impleant dictum S. Caroli conſilium, quod eſt omnem ſuarum concionum vim ad paſtoralis gubernationis rationes accommodare?

Reſp. Quod non. Ideoque quoniam ſimplex populus facilè diſrumpit ſepes conſtitutionum Apoſtolicarum propter non nullas conciones, ſed præſertim propter Eccleſias Regula-

gularium frequentandas, & occultis forte consiliis abducitur à suæ Parochialis Ecclesiæ frequentatione: necesse visum est, non tantùm temporibus Sixti 4. ut infra citabimus, sed & nuper Duaci (quæ est Universitas in partibus Flandriæ) ortâ maximâ difficultate pro re de qua tractamus inter Episcopos & Parochos ex una parte & Regulares ex altera: necesse, inquam visum est *Sanctissimo D. N. Clementi 8.* utrique partium imponere silentium, & tamquam Apostolicum Judicem decidere per sententiam quid privilegii Regularibus in hac re competat, & quid Juris ac debiti ipsis Pastoribus Parochialibus. Unde Bullam sequentem fecit.

Q. 18. Quæ sit Bulla Clementis 8. concernens auditionem Missæ Parochialis?

Resp. Quod ista Clementina anno 1592. ad *Octavium Nuncium Apostolicum* in Belgio pro componendis dictis difficultatibus directa, ut executioni mandanda, est hujus tenoris.

Venerabilis F. salutem & Apostolicam benedictionem.

Significatum fuit Nobis nuper, non sine gravi animi nostri molestia, nuper in *Oppido Duacensis Atrebatensis Diœcesis*, nonnullos Parochos maximo cum fidelium scandalo, tum docendo & concionando, tum omnes reprehensi-

hensionibus, & Censurarum, Ecclesiasticarum cōminationibus perterrendo, Christi fideles avertere, ne Festis diebus ad Ecclesias Fratrum Ordinis Mendicantium, atq; Collegii Societatis IESU, pro Missis audiendis accedere, & ne etiam Quadragesimali & Paschali tempore Fratribus dictorum Ordinum, ac Presbyteris Societatis JESU peccata sua confiteri possent, ausos fuisse: affirmantes, ipsis Christi fidelibus, tam de jure quàm de consvetudine prohibitum esse, in aliis quàm parochialibus Ecclesiis, Missas diebus Festis audire: nec licere illis, Quadragesimali & Paschali tempore, aliis prætterquam propriis Parochis peccata sua confiteri. Unde maximam in fideli populo exortam fuisse animorum perturbationem accepimus. Contra enim Fratres Ordinis Prædicatorum, & Conventuali um, ac Presbyteri dictæ Societatis privilegiis Apostolicis suffulti, tum privatim, tum publicè in Concionibus contrarium usum in Ecclesia Dei receptum & permissum, ac à SS. Patribus, Oecumenicisq; Conciliis approbatum defendere, conati fuerunt. Rem autem eo pertractum fuisse intelleximus, ut graues inde dissensiones inter dictos Parochos & Presbyteros Societatis JESU subortæ fuerint. Quod autem Nos graviùs affecit, illud imprimis

mis fuit quod Venerabiles Fratres Archiepiscopus Cameracensis & Episcopus Atrebatensis in consulta Sede Apostolica, negotium hoc in disceptationem, tum etiã in judicium fortassis apud sæcularem Curiam deduxerunt. At Nos ne graviora scandala suboriantur paternè consulere, & celeri remedio prospicere volentes: causam & causas hujusmodi, si quæ. coram quocunque judice introductæ reperientur, ad Nos harum serie, avocantes illasque penitus extingventes, ac perpetuum desuper tum Parochis tum aliis prædictis silent um imponentes. *Præsenti Nostro Decreto sancimus licere sæcularibus Christiq; fidelibus universis, liberè Missas diebus Dominicis & aliis Majoribus Festis audire in Ecclesiis tam Fratrum Prædicatorum, quàm aliorum Mendicantium, nec non etiam Collegii Societatis* JESU, juxta illorum privilegia & antiquas consvetudines; dummodo in comtemptum Parochialium Ecclesiarum non faciant. Et tam dictis Fratribus Prædicatoribus & Presbyteris dictæ Societatis, quàm aliis privilegiatis prædictis, quibus id à Sede Apostolica indultum est, idoneis tamen & ab Ordinario approbatis, peccata sua eriam Quadragesimali & Paschali & quovis alio tempore confiteri licitè posse: dummodo tamen iidem Christi fideles sacra-

men-

mentum Euchariſtiæ die feſto Paſchatis Reſurrectionis in propria Parochia ab eorum Parocho ſumant.

Proinde tibi per præſentes committimus & mandamus, ut præſens Noſtrum Decretum prædictis Archiepiſcopo Cameracenſi & Epiſcopo Atrebatenſi notum facias, iisdemque Authoritate Noſtra Apoſtolica mandes ut illud in prædicto Oppido Duacenſi, & ubicumquè opus fuerit, publicari & obſervari faciant: utque Parochos in eorum officio contineat! Illosque ab avocatione populi ab Eccleſiis privilegiatorum, ac etiam à propoſitionibus quibus tollitur populo libertas audiendi Miſſas in Eccleſiis privilegiatorum ſupradictis diebus, ac confitendi peccata ſua etiam in Paſchate ipſis privilegiatis, abſtinere faciant. *Ipſis verò Privilegiatis eâdem authoritate præcipias, ut in Concionibus & Catechiſmis, populum ipſum tum ad reverentiam Parochorum, tum ad eorum Miſſas præſertim Dominicis & aliis ſolemnibus Feſtis diebus audiendas.. tum ad decimas resq; alias Eccleſiis debitas ſolvendas, frequenter moneant & adhortentur.*

Ac denique omnem hujuſmodi controverſiæ occaſionem præcidere & tollere & Chriſti fidelium animos ad unionem & quietem traducere cures: omniaque præmiſſa publica-

ri & exequi, adjectis etiam Censuris Ecclesiasticis & aliis tibi benè visis pœnis, opportunisque omnibus juris & facti remediis adhibitis, mandes & facias: In contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque. Datum Romæ apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 22. Decembris 1592. Pontificatus Nostri anno primo.

Q. 19 An Regulares ex ista Bulla Clementis 8 non teneantur ex præcepto, seriò & frequenter in suis Concionibus & Catechismis hortari ad Missam Parochiæ?

Resp. Quod sic. & id quidem est manifestissimum cum expressis terminis illud eis imponatur ex præcepto de authoritate Apostolica

Q. 20 An Regulares id præstare nolentes, non possint ac debeant per Noncium Apostolicum ad id compelli per Censuras Ecclesiasticas?

Resp. Quod sic. Dicta enim Bulla Clementis 8. ad calcem sic habet: *Omniaq; præmissa publicari & exequi, adjectis etiam Censuris Ecclesiasticis, & aliis tibi benè visis pænis, opportunisq; omnibus juris, & facti remediis adhibitis, mandes & facias.* At verò Religiosos debere, ex præcepto authoritate Apostolica imposito, ad Missam Parochiæ populos hortari ac monere, est unum ex omnibus in Bulla Præmissis

missis; Ergo, ad illud etiam, ut curetur exequi, id est ut executioni mandetur, possunt ac debent adhiberi Censuræ; imò etiam suspensio prædicationis, cum Bulla habeat, *& aliis tibi benè visis pœnis*

Q. 21 An Religiosi omittentes exhortari populos ad Missam Parochialem, juxta Q. 19 satisfaciant fini & intentioni dictæ Bullæ Clementinæ?

Resp. Quod non: Finis enim quem expressis terminis Bulla intendit, est, inter Regulares & Dominos Pastores, quoad Missarum auditionem, præcidi, & tolli omnem, in posterum, hujusmodi controversiæ occasionem; & Christi fidelium animos, ad unionem & quietem traduci (inquit Clemens.) Qui tamen finis haberi non potest, nisi interim dum pro sua parte Domini Pastores obediunt, & implent servantque sententiam Sedis Apostolicæ hâc Bullâ expressam; Regulares quoque pro sua parte eam servent & obediant. Præsertim cùm sibi ad hoc impositum sit præceptum, cui tamen contravenire dicuntur passim multis modis.

Q. 22. Quibus modis Regulares contravenire ferantur; præcepto Clementis 8. illis strictissimè imposito, de frequenter monendo & hortando populos ad Missam Parochorum?

Resp. Ferri eos contravenire duobus imprimis

mis modis generalibus, nempè directè & indirectè, sive quod idem est, explicitè & implicitè, sive formaliter & virtualiter. Directè quidem & formaliter, dum omittunt sive non monent, nec exhortantur penitus, vel si id faciant, non faciant frequenter: vel non in Ecclesiis inter catechizandum & concionandum, prout in terminis Bulla mandat. *Secundò*. Dum loquuntur, fortè quidem, inter concionandum, de Missâ ac Parochia frequentanda uno & altero verbulo, sed ita, ut centum aliis verbis statim ex industria destruant & dissvadeant, quod quasi paulò ante commendare velle videbantur: & id quidem in præsentia & propria Ecclesia ipsorum Parochorum, non sine magna eorum mæstitia. Et sic, veluti sutor inducit setam in corium suum, ut eadem statim extrusa, introducatur filum & ibi hæreat, ita illi Prædicatores Regulares, utuntur initio quadam apparente *Missæ imo & concionis Parochialis* commendatione, quasi jocò; ut inde sumptâ occasione confestim inducant contrarium; & quidem non jocò, ut priùs, sed ita seriò & inculcativè & indubitanter, ut moraliter loquendo, necesse sit tale contrarium dogma hærere fixè in animis simplicis plebeculæ, velint nolint Pastores. Tales autem locutiones contrariæ quibus

bus utuntur, sunt hæ, *Nullam esse obligationem parochianorum ad parochiam*) cùm interim saltem, juxta Canonem Concilii, teneantur ad eam, ratione Verbi Dei audiendi, si commodè possint interesse parochiæ, Dominicis & Festis majoribus) & similes. Tale quid autem dicere, esse contra dictum Clementis 8. præceptum: Probatur quia secundùm Theologos præceptum affirmativum alicujus actionis faciendæ (qualis actio est hic, seriò & frequenter hortari & monere ad Missam parochiæ) ex natura sua, includit semper aliud Præceptum negativum de omittendo contrario dictæ actionis præceptæ & quolibet voluntario impedimento ejusdem: Sicut verbi gratiâ, sub præcepto affirmativo honorandi parentes, indubiè continetur negativum, de non affligendo, non deserendo, non agendo, nec loquendo contra eos, de non inhonorando, & non despiciendo eos. Proinde à simili, cùm Religiosis privilegiatis præcipitur hortari, sine dubio prohibetur implicitè & concomitanter, dehortari, & quoquo modo, voce, gestu, & subtilitate quacunque impedire, & sanctam Sedis Apostolicæ *Monitionem* sine suo frustrari; qui finis est, *Populum de facto audire* Missam parochialem dictis diebus, stante commoditate ad illa se conferendi.

Quod

Quod si non impletur, frustra anno 1592. recursum est ad Sanctam Sedem pro hac difficultate. Frustra à supremo Ecclesiæ Capite, ita decretum est; frustra motæ super hac re controversiæ inter Regulares & Parochos, diremptæ sunt, frustra compositæ partes, frustra appositæ clausulæ à partibus observandæ, frustra data est *Illustrissimo Domino Nuncio Apostolico*, potestas & mandatum curandi ut contenta in Bulla Clementina executioni mandentur, ad id, si opus sit, etiam Censuris & aliis pœnis utendo.

Tertiò contravenire feruntur, & quidem valdè efficaciter, clandestinis diverticulis, & consiliis datis in Confessionali, vel in locutorio portæ Monasterii, vel alibi in privatis pœnitentium colloquiis, assecurando eos vel eas quod ad nihil Parochiæ in conscientia teneantur. Quâ tamen generali negatione, falsum dicunt, cùm, ut in priore hujus nostri Tractatûs parte ostensum est, juxta Conciliũ Trid. populus teneatur reverà saltem ad verbum Dei in Missa parochiali audiendum. Quantum verò ad Missam parochiæ ita omnia silentio involvunt, ut non detegant plebi Constitutionẽ & voluntatem Ecclesiæ de ea audienda, quasi Constitutio præfata Trident. sess. 22. & voluntas Papæ in

in Clementina ante Q. 18. à nobis citata eò solùm quòdnon sit sub peccato, sit supprimenda nihili habenda, non inculcanda, nõ commendanda, nõ implenda. Quàd tamen quantùm lædat authoritatẽ Sedis Apostolicæ, quisquis est in eam *Pius*, facilè judicabit. Cũ (ut suprà monstratũ est Q. 6.) Ipsimet Superiores Religiosorum nullatenus permitterent ipsorum regulas & constitutiones violari, licet ad nullum peccatum obligent: eas tamen non observari: in ruinam apertissimam disciplinæ familiarum reputent. Et, unde, quæso, meruit Ecclesia Romana pejoris esse conditionis in sua authoritate, quam Superior Regularium in sua? Quid ablatum est de potestate & dignitate illa primæva sibi à Christo Domino collata, ut ita vilescere incipiat, ita jacere, ita non audiri, ut monita ejus sanctissima, volita, & statuta & hortamenta illius, planè cælestia non habeant vim, non efficaciam, non vigorem, sed sint quasi non sint? Spero tamen meliora, Christo Domino super his, ut confidere par est aliter pro suavi sua sapientia provisuro.

Q. 23. *An, ut intelligatur intentio Clementina, quâ sancitur esse licitum & liberum populo audire Missas in Ecclesiis Regularium, & quâ etiam aliundè monetur populus audire Parochia-*

lem

lem: non sit cum prudenti advertentia, distingvendum inter Missam Pracepti & Missam Parochialem?

Resp. Quòd omninò ita agendum est. Distingvenda igitur venit *Missa pracepti* ut sic, id est formaliter sumpta ut est præcepti, & *Missa Parochialis*, quatenus Parochialis.

Primo. differnut quia illa omnino debet audiri ex debito constitutionis & ordinationis ad salutem directivæ sub nullo, ut ajunt peccato: ut proinde populus ad eam vocetur non præceptione sed monitione.

Secundò. Missa parochialis est loci determinati scilicet Parochiæ: Missa verò præcepti non est affixa loco. sed ubivis audiri potest sive in Hospitalibus, sive in Parochiis, sive in Religionibus: ubicunque dicatur, sit verè Missa, & præceptum non obliget nisi ad Missam, statis diebus.

Tertiò. Adeò differunt; ut habeant se ut excedens & excessum, datur enim Missa quæ solùm sit prœcepti, & non sit Parochialis, qualis est illa Missa quæ sola, Dominico Die, auditur, idque apud Regulares. Datur alia quæ sit solùm Parochialis & non sit Missa prœcepti: qualis est Missa Parochialis quolibet die feriæ; imò etiam die fortasse Dominico, si audiatur quidem Parochialis sed cum formali expers-

pressaque intentione non satisfaciendi præcepto Ecclesiæ per illam, & postea audiatur altera apud Regulares aut in Hospitali, cum intentione implendi præceptum Ecclesiæ: denique datur Missa quæ sit simul Parochialis & præcepti; qualis est illa quæ sola auditur die Dominico, dummodo sit Parochialis: per eam enim impletur etiam præceptum, & est parochialis quia est Missa Parochi & in Parochia.

Quartò Proinde differunt Canonibus, virtute quorum ordinantur audiendæ: Canon enim obligans ad Missam præceptivè in conscientia & sub peccto, est ille qui *De Consecrat. Distinct. 1. ex Concilio Agathensi*, sic incipit, *Missas die Dominico sæcularibus totas audire, speciali ordine præcipimus, &c.* Canon verò ordinans audiri parochialem est alius ex toto distinctus in Concilio Trident, sess. 22 supra à nobis Q. 3. citatus, & æquivalenter iteratus in Bulla Clementis 8. supra etiam Q. 18. allegata.

Quintò, Differunt extensione ad subjectos quos afficiunt. Nam Canon præcepti, extendit se & comprehendit omnes Christianos populum & Clerum, Sæculares & Regulares, utriusque sexus, prælatos, Abbates, Episcopos, Cardinales, &c. Canon autem de Mis-

Parochiali, comprehendit solam plebē Parochiæ.

Sextò. Differunt circumstantiis notabilibus à Concilio Trid. appositis, nam affixum est Missæ Parochiali, debitum administrandi & audiendi verbum Dei inter ejusdem Missæ solemnia, & reliqua illa omnia præstandi, & docendi & discendi quæ sanctissimus ille Concilii Trid. *Assessor S. Carolus*, supra ex mente ejusdem Concilii, expressit, & nos retulimus Q. 15. paragrapho *His igitur*. Missa autem præcepti, quæ non est Parochialis istud non requirit: ut per se satis est manifestum. *Supposita illa convenientissima Missarum dictarum distinctione*, quæritur Q. sequenti. *an Missæ illæ, &c.*

Q. 24. *An Missæ illæ quas Clemens 8. decernit licere liberè audiri in Ecclesiis Regularium sint aliæ à Parochiali?*

Resp. Quòd sint aliæ & planè distinctæ. Propterea que nullum ex Clementina ista, adversus Missam Parochorum, à Parochianis, dictis diebus audiendam, Regulares privilegium habent.

Primò probatur, quia postquam Clemens 8. sanxit de Missis apud Privilegiatos audiri licitis & liberis, statim post in eadem Bulla excipit Parochialem; eamque expresse reservat fidelibus in Parochia audiendam. Ergo

non

non eſt comprehenſa inter illas licitas & liberas in Eccleſiis Regularium: nam res vel terminus exceptus, non continetur in illo à quo fit exceptio, alioquin idem eſſet exceptus & non exceptus, excluſus & non excluſus.

Secundó probatur, quia Miſſæ prædictæ liberæ, ſunt liberæ quoad locum qualiter liberæ ſunt quævis Miſſæ quas vocamus *Devotionis*; qualiter quoque libera eſt Miſſa præcepti generaliſſimi Eccleſiæ, ubicumq; enim audiatur, ſatisfit præcepto. At verò Miſſa Parochialis non eſt libera quoad loca, ſed eſt ligata determinata & affixa certo loco nempè Parochiæ, implicatq; eam audiri in Eccleſia Regularium, cum ſint loca diſcreta & repugnantia: & proindè ſicut Eccleſia Parochiæ non eſt illa altera Eccleſia, quæ eſt Regularium, ex conſequenti Miſſa Regularium nequit eſſe altera quæ eſt Parochialis: igitur Miſſa Parochialis nequit contineri inter Miſſas illas liberas, quæ audiri poſſunt inter Regulares.

Tertiò probatur, quia Miſſæ ſuprapoſitæ differunt celebrante à Miſſis Parochialibus, cùm iſtæ priores habeant ordinariè unum Regularem pro celebrente, hæ autem Parochum.

Quartò. Miſſæ Regularium ſunt populo liberæ & ultroneæ ſive quod idem eſt, ſunt meræ libertatis: Miſſa verò Parochiæ eſt de-

biti, nam quod debet fieri, est debiti, verè autem debet audiri Missa in Parochia, quia sic decernit Concilium, nullus autem negabit quin debeat servari Decretum, igitur Missa Parochialis est debiti, proindè non comprehenditur inter alteras priores quæ sunt libertatis.

Quintò. Alioqui Sua Sanctitas confusè & indiscretè loqueretur, si Missam Parochorum, quam ab Ecclesiis Regularium excipit, confunderet cum supradictis Missis apud Religiosos audiri liberis; quod tamen non decet supremi Ecclesiæ Principis sapientiam.

Sextò, Papa sibi contradiceret si Missam Parochorum vellet contineri sub istis Missis apud Religiones auditu liberis: vellet enim eam audiri in Porochia & simul non vellet: vellet, quia hoc expressè infrà intendit, eò enim dirigit efficacia media tum præcepti facti Regularibus de exhortando & monendo populum ut audiat Parochialem tum media ipsarummet exhortationum & monitionum: tum alioquin Censurarum applicandarum. Non vellet autem, nam tunc, ponendo Parochialem Missam inter Missas apud Religiosos audiri liberas, relinqueret liberum eam audire liberum autem relinquere est nec velle nec nolle.

Septimò. Alioquin Papa destrueret suam' i-

psius

psius ordinationem: nam statuit ne populus avocetur ab Ecclesiis Privilegiatorum: & ut abstineatur à propositionibus quibus tollitur populo libertas audiendi Missas in Ecclesiis Privilegiatorum, interim ipsemet avocat populum à Regularium Ecclesiis quoad *Missam* Parochiarum. Nec abstinet à propositionibus quibus tollitur populo libertas audiendi illam in Ecclesiis Privilegiatorum: & quod amplius est, præcipit ipsismet Regularibus idem facere seu avocare; idque non tantùm propositionibûs simplicibûs; sed adhibitis etiam in facie Ecclesiæ monitionibus & exhortationibus ut Parochiani eam audiant in Parochia. Hoc verò agere est ab Ecclesia Regulari avocare; cum sit advocare ad locum oppositum nempè ad Parochiam: sine dubio autem advocat ad Parochiam qui de mente Papæ & præcepto ejus frequenter in Concione, & Catechismo. sic dicit: *Parochiani, venite quæso ad Parochiam audituri Missam Parochialem: monemus in Domino ut eò accedatis: exhortamur vos per viscera* IESU CHRISTI (ut loquitur S. Carolus Borrom:) *ut id facere non omittatis, talis enim est voluntas Clementis 8. ex cujus mandato, vos serio ad Parochiam advocamus.* Nonnè sic loqui est ad Parochiam advocare; jam autem advocare ad

unum

unum locum, est concomitanter avocare ab altero loco opposito, & incompatibili. sicut exempli gratiâ, movere ad terminum ad quem est amovere à termino à quo. Locum autem Regularium, & locum Parochiæ, certum est esse loca repugnantia: cùm idem corpus non possit simul esse in duobus locis. Ergo advocare ad Parochiam ut veniatur ad eam est avocare à Regularium Ecclesia, ut recedatur ab ea: nam accessus ad Unum est recessus ab altero. Ergo Clemens 8. nullô modô vult Parochialem Missam comprehendi inter illas Missas licitas & liberas; à quibus de Ecclesia Regulari avocare ad Ecclesiam Parochialem, prohibet: alioquin destrueret quod cõstruit, & præciperet fieri quodprohibet.

Q. 25. An Clemens 8. concordans Privilegiatos & Parochos quò ad Missam non concedat utriusq; quod suum est?

Resp. Regularibus ex gratia indulget solum hoc, ut scilicet, *sit licitum & liberum populo, apud illos audire Missas Dominicis Diebus & majoribus Festis. Parochis autem concedit Missam Parochialem, à populo in Parochia, dictis diebus audiendam.*

Q. 26. An Clementis 8. concessio facta Regularibus quò ad Missas sit æqualis cum concessione quam facit Parochis?

Resp.

Resp. Quòd non, ſed è contra eſt longè diſpar & inferior. Nam primò latiùs patet conceſſio Parochorum; continet enim etiam totum quod in Clementina Regularibus conceditur: nam eſt populo licitum & liberum audire Miſſas illas in Parochiis quas audire liberum eſt in Religioſorum Eccleſiis: quidem ita ut non liceat populum inde avocare. Et inſuper continet ultra iſtas Miſſas libertatis, etiam Miſſam Parochialem.

Secundò. Regulares, ſi bene expendant textum Bullæ, eorum in ea Privilegium, non eſt tam magnum ac plebi inſinuant. Nam tota ejus vis continetur in his duobus terminis *licitè & liberè*. *Per licitè* porrò ſolummodo declaratur non eſſe peccatum illas Miſſas audire apud Regulares, quemadmodum etiam licitum eſt, ſeu peccatum non eſt easdem audire in Hoſpitalibus vel in Parochiis vel ubicumque. *Per liberè* verò, ſolùm declaratur quòd audire vel non audire ejusmodi Miſſas apud Regulares pendeat ex mera optione, libito & libertate Fidelium. Unde Clemens 8. habet ſe in eo ſolùm permiſſivè & veluti negativè, nihil penitus agendo circa populum eò adigendum. Nam nullibi, quod ſciam, Eccleſia decernit, præcipit vel ordinat, ut plebs audiat Miſſam apud Religioſos: immò nec mone-

monet nec hortatur, nec denique saltem dat consilium ad hoc. Hinc evidenter sequitur, quòd supradicta concessio Regularibus indulta, sit quid minus quàm consilium respectu populi. Nam, verbi gratiâ, consilium Christi Evangelicum de castitate religiosa, vel &c. licèt hominem relinquat liberum ad tale objectum, iuxta id, *qui potest capere capiat*, nihilòminùs est actio positiva in consulente, quâ consulit ad illud amplectendum: unde & Paulus ait 1. Corinth. 7. *De Virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do.* Item ait. *Solutus es ab uxore noli quærere uxorem. Volo enim vos omnes esse sicut meipsum.* Unde consulens habet positivum desiderium, ut rès consulta fiat: quòd ne quidem inquam, reperitur in hoc Regularium Privilegio de Missis apud eos, à plebe audiri licitis & liberis.

Hinc infertur ipsos debere relinquere liberum in mera natura liberi: seu relinquere plebis libertatem intactam: neque debere quidquam actitare positivi, ad inducendum populum ut ad ipsos veniat, *consulendo, hortando, alliciendo, &c.* Sed deberi ipsos pendere à mera plebis optione & libito, eamque exspectare non vocare: & finaliter non plus facere, quàm faciat aut fieri statuat Clemens

in

in hac concordia inter *Partes*, integrè justèque restituenda: alioquin esset assurgere ultra terminos Privilegii, eoque quodammodo abuti: Iura autem dicunt *De Reg. Iuris.* Quod qui Privilegio abutitur, meretur Privilegium perdere.

Q. 27. An igitur concessio Clementis 8. facta Parochis plùs contineat quàm concessio facta Regularibus?

Resp. Quòd sic, nam non excludit à seipsa alteram illam quæ facta est Regularibus. & insuper addit Missam Parochialem, hoc est dicere Ecclesia Parochiæ. talis est ut in ipsa sit licitum & liberum populo audire omnes & qualescunque Missas licitum & liberum est audire apud Regulares, sed nihilominùs ultra eas Missas, plebs debet audire Parochialem in Parochia.

Dico, *debet*, Clemens enim concedendo Parochis Missam non loquitur permissivè solùm quasi habeat se negative. sed positivè volendo & adhuc plùs quàm consulendo, quandoquidem de hoc, statutum faciat, ut Missa Parochorum audiatur: Et eò fine monitiones exhortationesque adhiberi strictissimè præcipiat. Unde non est putandum quod Regulares per hanc Clementinam sint in pari jure cum Parochis, quando quidem populus debeat

beat audire Missam Parochorum suorum (subaudi semper diebûs Dominicis & Festis majoribus saltem) nullam autem debeat audire Regularium, sed tantùm possit, si velit. Unde aliæ illæ Missæ sunt populo merè liberæ & non debitæ: Perochialis verò est debita, quia de ea extat statutum, & non libera quia est affixa loco Parochiæ per Ordinationem S. Sedis Apostolicæ.

Q. 28. An si Parochiani non sint liberati à debito audiendi Missam Parochorum dictis diebûs, inde benè sequatur, Ergò frustraneum est illud Regularium Privilegium quò Clementina decernit licitum & liberum esse audire Missas apud ipsos?

Resp. Imprimis me vehementer mirari, ipsos Regulares adeò metuere, ne illa pars Bullæ quæ ipsis favet, eosque tangit sit ipsis frustranea & sine effectu: & de cætero non curare, si altera ejusdem Bullæ pars, quæ ad Parochos attinet, non esse etiam frustranea & sine affectu favoris. Miror, inquam, eos tàm parum aut nihil esse sollicitos, ne authoritas Clementis, ejusque tam expressa & circumstantiata audiendæ à populo Parochorum Missæ ordinatio non sit quoq; frustranea & inefficax. Miror, an putabunt quoque esse frustra, quod Clemens ipsismet præcipit de

Au-

Authoritate Apostolica, ut in prædicationbus moneant & exhortentur plebem seriò ad audiendam Missam Parochialem, qui tam metuunt, ne aliquid pauxillum sit frustra pro ipsis. deberent, ut mihi videtur, etiam non nihil sollicitudinis habere, ne totum sit frustrà pro aliis.

Resp. 2. Si ex eo, quòd populus non liberetur à Missa Parochiali, consequens esset Regularium Privilegium esse frustrà, hoc certè nulli alii imputandum erit, quàm ipsi Sedi Apostolicæ: nam ipsa est, quæ populum non vult liberare à Missa Parochorum; ipsa est, quæ etiam præcipit contrariæ parti, nempè Regularibus, monere & exhortari plebem ad auditionem Missæ Parochiæ: imò nisi Religiosi obediant in hoc, vult eos ad id adigi etiam per Censuras.

Resp. 3. Tunc primùm bene discerni, sententiam Iudicis non esse sine effectu; si benè expendantur *Allegata partium, & status disceptationis.* Status autem talis erat in hac controversia, *Pastores* prædicabant non esse Parochianis liberum, nec in conscientia licitum audire Missas in Ecclesiis Regularium Dominicîs & Festîs, sed debere solùm in Parochia. Item suis Doctrinis & Censurarum comminationibus avertebant Fideles ab Ecclesia Privilegi-

egiatorum. Ex eo capite duo quædam sequebantur incommoda, unum in ipsis Fidelibus, nimirum conjici in scrupulum conscientiæ, ne audire Missas apud Regulares esset fortasse peccatum. Alterum in *Privilegiatis ipsis*, nempè suas *Ecclesias* non ita affluenter frequentari, de quo turbabantur. His itaque præmissis, facilè est agnoscere in quo consistat efficacia & utilitas sententiæ Judicis, & quòd non sit frustranea Religiosis ob exclusam ab iis Parochialem Missam: nam hunc sortitur effectum, *Declarando* scilicet definitivè, *licere & liberum esse* in Ecclesiis Regularium Missas dictis diebûs audire, & insuper non posse nec debere populum inde averti. Ex illa sententia duo secuta sunt manifesta beneficia: unum in plebe, nempè restituta, sublatis omnibus scrupulis, conscientiarum serenitas. *Alterum* in Regularibus, nempè favor Apostolicus. quô decernitur populum esse liberum ad Missas Regularium: & in hoc solo consistit substantia Privilegii, quod ad Missas attinet: Cujus tamen Privilegii usus (cum sit ex parte ipsorum Regularium merè passivus, consistens nimirum in adiri à populo, activus autem ex parte populi consistens in adire spontaneè & liberè, ro Missis audiendis) aliô modô, in favorem Re-

Regulesium, per hujus Bullæ ſententiam reſtitui non debuit, nec potuit, quàm auferendo ſcrupulos Fidelium de ſuſpicione peccati in adeundo Monaſteria pro Miſſis audiendis, eisque amovendo omnem metum comminationis Cenſurarum, & eos deniq̃ue priſtinæ ſuæ libertati reſtituendo quoad hoc. Ecce igitur quomodo illud Privilegium quod Clemens 8. concedit Regularibus non ſit fruſtra, ſed ſortitur effectum ſuum per ſententiam juxta allegata & probata partium pronunciatam.

Alteri autem partium nempè Parochis nihilne Clemens conceſſit? nihilne reliquit? immò; nam reliquit parem omninò libertatem audiendi Miſſas ſupradictas ſive liberæ devotionis, ſive præcepti æquè benè in Eccleſiis Parochorum quàm Regularium; & inſuper ordinavit audiri Miſſam Parochialem in Eccleſia Parochiali, & quidem adeò ſeriò indicans voluntatem ſuam, ut ſuam illam ordinationem munierit ſeriis, frequentibusque monitionibus ac exhortationibus & quidem ab adverſa parte de Mandato S. Sedis faciendis; alioquin ad hoc Cenſuris utendum eſſe per illuſt. Nuncium Belgii, niſi Regulares in hoc paruerint.

Q. 29. An quia Tridentinum Concil. ſeſſ.2.2

&

& Clementis 8. solùm dicunt moneant *ad audiendam scilicet Missam Parochialem: sit ideò dicendum, Sedem Apostolicam, non reverà & propriè velle illam audiri? eiq; perinde esse, si de cætero populus non obediat?*

Resp. Id nec posse dici, nec putari sine injuria Sanctæ Sedis: Quid enim; monetne tam graviter & seriò sancta Romana Ecclesia, & illud ipsum quod ita monet ut fiat fieri tamen non vellet? hoccine præsefert ore & scripta constitutione & interim contradiceret corde & interna voluntate? Absit. Et certè si monitio non repugnat præcepto ut convenienter moneatur subditus ad obsequendum præcepto: multò minùs monitio repugnabit statuto simplicis directionis, & proindè convenientissimè monetur subjectus populus ad parendum constitutioni & voluntati Ecclesiæ, licèt ad nullum obligantis. peccatum Certè magnifacienda est illa tam expressa statuentis voluntas, quæ nescio an altiùs assurgere valeat, nisi usque ad præcepti naturam & rationem pertingat. Maximè si perpendatur, quàm veniat benè armata censurarum comminationibus, tum in Regulares, per Clementem 8. nisi obtemperent præcepto de monendo populum ad Missam Parochialem audiendam tum in ipsum populum ni pareat eam

audi-

audiendo, ſicut habetur in Trid. ſeſſ. 22 Decreto de Obſeru. & vitand. in celebratione Miſſæ.

Q. 30. *Sixti 4. Bulla Extravagans, quæ incipit* Vices illius: *Quid habeat de Miſſa Parochiali audienda?*

Resp. Habere hæc quæ ſequuntur. *Fratres Mendicantes non prædicent populos Parochianos non teneri audire Miſſam in eorum Parochiis, diebus Dominicis & Feſtivis: cùm jure cautum ſit, illis diebus Parochianos teneri audire Miſſam in eorum Parochiali Eccleſia: niſi fortè ex honeſta ea iſpa Eccleſia ſe abſentarent.* Paulò poſt ſequitur.

Injungentes ſingulis Fratribus Mendicantium ſub pæna Excommunicationis lata ſententia: quam contrafacientes, & quemlibet eorum contrafacientem incurrere volumus eô ipſiô: à qua abſſolui nequeant, niſi de expreſſo conſenſu partis læſæ, & debita ſatis factione inviolabiliter obſervent & quantum in eis eſt obſervari faciant ab aliis. Item ſequitur.

Neq; etiam populos à ſuarum Eccleſiarum Parochialium frequentia & acceſſu abſtrahant quoquomodo ſub pœna Excommunicationis, &c. Deinde ſequitur.

Et hæc omnia viribus perpetuò ſubſiſtere debere decernimus, non obſtantibus, &c.

Q.

Q. 31. Quæ specialiter notanda veniant ex hac Bulla Sixti 4.?

Resp. 1. Notandum esse usque ad tempora Sixti 4. 1478. fuisse præcepti (ut patet in terminis) audire Missam Parochialem. 2. Mandatum esse Regularibus, ne prædicent populum ad id non teneri. 3. Mandatum esse iisdem ne quoquo modo populos abstrahant à frequentia suarum Parochiarum. 4. Contrafacientes Regulares excomunicari ipsô factô.

Q. 32 Quid Leo. 10. de Missa decreverit in Bulla quæ incipit, Intelleximus?

Resp. Haberi in illa Bulla sequentia.

*Authoritate Apostolica tenore præsentium notum facimus omnes Christi fideles utriusq; sexus, qui (*non contempto proprio Sacerdote Parochiali*) in Ecclesiis Fratrum Ordinum Mendicantium Dominicis & Festis diebus Missas audiunt, satisfacere præcepto Ecclesiæ de audienda Missa, nec aliquam labem mortalis peccati pænamvè propterea incurrere.*

Q. 33. Quid per Leonem 10. sublatum sit de Sixtina præcitata?

Resp. Sublatam esse obligationem audiendi in Parochia illam Missam- quæ est præcepti generalissimi Ecclesiæ, relictumque libertati Fipelium, eam Ubiliaet audire, etiam in Ecclesiis Regularium.

Q. 34. Quid novissimè per Concilium Trid: & per Clementem 8. statutum sit de Missa Parochiali?

Resp. Tridentinum Concilium edidisse statutum expressum sess, 22. licèt non obligativum sub peccato (dicunt aliqui), ut supra in priori Parte hujus Tractatûs latè deduximus. *Q. 3. & sequentibus.* Item Clementem 8. illud confirmâsse, aut potiùs iterato posuisse, novoque rigore munivisse, appositô scilicet Mandatô Regularibus de frequenter exhortando & monendo populum, ut audiat Missam sui Parochi :. & ut Nuncius Apostolicus istud curet publicari & exequi etiam per Censuras, aliasque pænas, si opus fuerit. Nec obstat istud statutum non esse sub peccato: quia nec statuta Religionum sunt sub ullo peccato, & eo non obstante curatur enixè ut ea serventur ad amussim à singulis subditorum sub certis pænis à Patribus Religionis legitimè constitutis. Papa autem plus est quàm Ordinum Prælati: ideoque non minus, saltim, debent ejusdem statuta servari quàm istorum: alioquin etiam ab Ecclesia meritò provisum est, ut sub certis pænis Fideles inobedientes ad obtemperandum Constitutionibus Papalibus compellantur. Neque hoc est novum, nam: et referente *Reveren: Domino Abbate Sancti Andreæ juxta*

Brugas Henrico Zypæo de statu Monialium & filiabus devotariis; Concilium Constantinopolitanum 6. excommunicat Parochianos, qui tribûs diebûs Dominicîs continûis se à Parochia absentant.

Q. 35. Quid habeat hac de re Synodus Diæcesana Cameracensis sub Illustrissimo Domino de Berghes Anno 1604. tit: 3. Cap: 3.?

Resp. Habere sequentia. *Doceant* prætereà quantæ sit utilitatis Ecclesiam Parochialem frequentare, tum ut populus monitioni Concilii Tridentini satisfaciat & inter Missarum solemnia Evangelicam doctrinam hauriat: Tum etiam ut quisque intelligat, quomodo totâ septimanâ in sua familia se gerere debeat, ex iis, quæ Parochus in sua Concione annuciaverit, videlicet quæ jejunia, quæ festa, quæ publicæ Supplicationes, quæ Missæ votivæ, & quæ alia pietatis & charitatis Christianæ sint officia agenda, ut audiant publicationes Bannorum, tam eorum qui Sacris Ordinibus sunt initiandi, quam qui Matrimonio sunt conjungendi, ut impedimenta, si quæ sint denuncientur. Denique ut Christi Fideles de pluribus aliis instruantur, quæ ad suam & proximorum salutem, & bonum publicum pertinent.

Q. 36 Quid habeat hac de re Synodus Diæcesana Cameracensis sub Illustrissimo Domino de Croy Annô 1556 tituli 7, ?

Resp:

Resp: Eam habere sequentia. *Licet juxta Sanctæ Matris Ecclesiæ statutum* & ordinationem. quilibet Christianus, singulis Dominicis & Festivis diebus Divino Officio Missæ & prædicationis interesse teneatur, ut ibidem de Divinis præceptis & doctrinis Evangelicis informetur: Nonnullorum tamen fide digna accepimus relatione populum plerisque in locis Nobis subditis eisdem raro interesse. Quapropter *Omnibus & singulis Presbyteris, Curatis Nostrarum Civitatis & Diæcesis Cameracensis*, districtè præcipimus & mandamus, quatenus Parochianos suos qui ad annos discretionis pervenerint hortentur & moneant *sub pæna Excommunicationis*, ut deinceps singulis Dominicis & Festivis diebus Officio Missæ interesse studeant, & prædicationem Verbi Dei diligenter audiant, nisi legitimo impedimento ex causa rationabili quis excusetur, nec ab officio hujusmodi ante benedictionem sacerdotis, donec compleatur, recedant sive discurrant. Item ne per Capellas honor Matris & Parochialis Ecclesiæ pereat: *Statuimus & ordinamus*, quòd Parochiani de villis seu confiniis, adjacentibus & Capellis seu Oratoriis attinentibus, saltem quibus libet diebus Dominicis & Festis solemnibus sub pæna Excommunicationis teneantur ad Ecclesiam suam Parochialem acce-

cedere atque ibidem Missarum solemnia audire, prout in Concilio, *à San-ctis Patribus institutum est.*

Q. 37 Quid de hoc habeat Concilium Provinciale Cameracense sub Illustrissimo Domino Barlemontio Annô 1586 titul: 19

Resp: Habere Sequentia.

Studiosè observent Pastores, eos qui diebus Dominicis & Festis vel omninò Missam non audiunt, vel ad Missam Parochialem non conveniunt. Ac primùm privatim & paternè sui officii commoneant. Quod si post admonitiones non emendentur, ad Ordinarios deferant.

Q. 38 An ex Oecumenica Trid. Synodo videatur posse verisimiliter colligi populum teneri ad Missam Parochialem?

Resp: Quod sic: ex eo nimirum quod eadem SS. Synodus sess. 24 c. 4. decernat: *Teneri unumquemq; interesse Parochiæ suæ, ubi id commodè fieri potest, ad audiendum Verbum Dei. Inde enim rectissimè videtur consequi teneri etiam ad Parochialium Missarum solemnia. Et ratio est, quia mandat sacra eloquia & salutis monita à Parochis explanari intra Missarum solemnia sess 22. in doctrina de Sacrificio Missæ cap. 8.*

Ubi sic habetur. *Ne oves,* Christi esuriant, neve parvuli panem petant, & non sit qui frangat eis, mandat Sancta Synodus Pastori-

storibus & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur aliquid exponant, atque inter cætera Sanctissimi hujus sacrificii mysterium aliquod declarent diebus præsertim Dominicis & Festis. Idem repetit S. Synodus sess. 24. in Decreto de Reformatione. cap. 7. ubi habetur. Curent ut inter Missarum solemnia aut Divinorum celebrationem, sacra eloquia & salutis monita, eadem vernacula lingua, singulis diebus Festis vel solemnibus explanent: eademque in omnium cordibus, postpositis inutilibus quæstionibus, inserere, atque eos in lege Domini erudire studeant. Sicut etiam notavit Sanctè Carolus Borromæus in monitione sua Provinciali supra à nobis expressa quæsitó quintó. Hoc autem ita probato, nimirum sacras conciones ex Decreto Concilii debere haberi in Missæ Parochialis celebratione: ut ex ejusdem Decreto constet populum teneri ad eas conciones non possint autem audiri nisi in Missa, quia tum fiunt, argumentum videtur convincere populum teneri quoque ad Missam.

Secundò. Videtur, probari posse, populum teneri ad Missam Parochialem ex eo quod Sacrosancta Synodus Trid: sess. 22. in Decreto de observandis & vitandis in celebratio-

tione Missæ statuens frequentari Parochiam pro Missa, vult Episcopos compellere populum ad Missam Parochiæ etiam adhibitis Censuris Ecclesiasticis, si opus fuerit, non obstantibus, &c. Censura autem est gravis pæna, qualis infligi non solet nisi graviter delinquenti. Idem adstrui potest ex eo quòd Clemens 8. in sua Bulla quæ incipit. *Significatum fuit Nobis*: & à nobis supra Q. 18 allegata, ita graviter & severè inculcat voluntatem suam & intentionem de audienda à populo Missa Parochorum: ut Regulares ipsos expresso Mandato cogat, de hoc implendo, monere & exhortari populum: & quidem frequenter in Catechismis & Prædicationibus suis. Quòd cùm ita sit, negari non potest, Clementi vehementer cordi esse, ut habeat finem intentum nempè auditionem Missæ Parochorum, cum eò ordinet tam grave & severum medium, quale est præceptum illud monendi populum. Regularibus factum: & (quod rem vehementer auget) superadjicienda sit Censura Ecclesiastica in dictos Regulares Privilegiatos, casu quo non obediant Mandato Papæ de frequenter & seriò monendo plebem ut audiat Missam Parochi sui diebus scilicet & in ista Clementina & in Trid: Concilio, designatis. Hoc Quæsitum adiicere volui ut saltèm pateat, quàm meritò sit ut urgen-

gendus populus ad Missam Parochialem ob tam seriam sedis Apostolicæ Ordinationem, quæ si non est præceptum, parum certè videtur distare à præcepto. Quòd enim objici posset Leo 10. supra à nobis Q. 32. citatus, declarans populum satisfacere præcepto Ecclesiæ, audiendo Missam etiam extra Parochiam diebus Dominicis & Festis. Nihil obest. Nam ut Q. 23. demonstravimus: aliud est Missa præcepti Ecclesiæ generalissimi *in Cap. Missas.* aliud Missa Parochialis. Leo 10. autem non loquitur nisi de Missa præcepti, nos verò hic agimus de Missa Parochiali audienda per Statutum Concilii Trident. & iterum, Clementis 8. qui sunt Leone posteriores quibus propterea derogare non potest.

Q. 39. *An Laurentius Berlinquæus Protonotarius, Theologus, Canonicus, & Archipresbyter Antverpiensis, huc faciat?*

Resp. Quòd sic. Nam in magno suo theatro humanæ vitæ, litera P. pag. 28. hæc habet de debito audiendi Missam Parochialem. Certè quod Sixtus quartus dicit: Iure cautum, teneri unumquemque in sua Parochia Missam audire: Quod Concilium Nannetense tam districtè fieri præcepit: Quod Concilium Constantin. 6. Oecumenicum sub Excommunicatione mandavit. Quod viri

Prin-

Principes ſcandaloſum; cenſent, ſi omittatur, non video qua fronte, illud audeant plerique, tanquam rem omninò liberam unicuique, & planè indifferentem aſſerere, & per hoc populum à ſuæ. Parochiæ frequentatione abſtrahere. Cum illi hoc faciunt, dum aſſumpti fuerint duntaxat in ſubſidium Eccleſiæ Parochialis & Parochorum: non verò, ut hujus & illius contemptum & deſertionem procurent: debitamque illis ſubjectionem enervent.

Q. 40 An idem Archipresbyter Berlinquæus prudenter eandem Parochianorum obligationem colligat ex concordatis Regularium cum Magiſtratu aut Clero Urbium in quas admitti poſtularunt?

Resp. Quòd ſic. Nam paulò poſt, pag. 29 marginali litera D. poſtquam oſtendit præceptum eſſe Regularibus frequenter adhortari populum, ut officiis divinis Eccleſiarum ſuarum Parochialium, & Parochorum interſint cum jure cautum ſit eos ad id teneri ut conſtat ex Sixto quarto. Hæc ſubjungit.

Ad quod etiam faciendum, victi rei ipſius æquitate illi ipſi, quodque ſe solùm in ſubſidium Parochialis miniſterii, & officii ad Civitates & celebriores vicos admitti, & ob id, populi liberalitate ac eleemoſynis potiſſimum ſuſtentari ſciant; ultro plerisque in locis, dum ad ea reciperentur, ſeſe obligarunt: Cujus

jus rei teſtimonia producemus ex archivis Capituli Antverpienſis; ubi in concordatis initis cum Religioſis mendicantibus in eorumdem admiſſione, cavetur commendatio Eccleſiarum Parochialium, & officiorum quæ in illis fiunt. *In concordatis initis* inter idem Capitulum & Franciſcanos anno M. D. XLVIII. quæ itidem renovata fuerunt anno M. D. XCV. hæc inſeritur clauſula.

Item debent quantum eis fuerit poſſibile, informare populum, ut feſtivitatibus, & diebus Dominicis, Eccleſiam propriam Parochialem viſitet, nec Parochianos dictæ Eccleſiæ matricis, aut aliarum Eccleſiarum Antverpienſium (cum verbum Dei audire debeant in propria Parochia) attrahere ad divina audienda in eorum Eccleſia quomodolibet debebunt.

Similiter *Carmelitarum* ad eam urbem anno M. CCCC. XCIV. menſe Aprili venientium, ſuperiores cum præfato Capitulo convenerunt; ſe que in perpetuum obligârunt in hæc verba. Item quod ſi Fratres ex nunc in antea in ſingulis ſuis ſermonibus, tam in ipſorum Conventu, quam aliis locis pro tempore faciendis; informabunt populum, quantum in Ipſis erit: ut in ſolemnitatibus nec non Dominicis & Rogationum diebus frequentent matricem Eccleſiam, & filias ejus reſpecti-

ſpectivè, in iisque divina ejuſmodi, & ſermones audire ſtudeant.

Neque eſt alius tenor, quo ad iſta, novorum Concordatorum initorum Annô 1519. cum Clericis Societatis JESU, in quibus leguntur ſequentia. *Monebunt & adhortabuntur populum*, tam in Concionibus quàm in Confeſſionibus: ut quisque ſuis Parochiis Divinum officium frequentet, &c. Haud aliter admiſſi pridem Auguſtiani anno 1508. ſe obſtrinxerunt: ſic namque Concordata cum ſupradicto Capitulo concluſa, habent.

Tenebuntur etiam prædicti Fratres, in ſuis ſermonibus, & populorum Confeſſionibus. & alias, quantum iis fuerit poſſibile, exhortari & informare populum, ad frequentationem matris Eccleſiæ, & Parochiarum, ut in iiſdem divina & officia, & prædicationes ſuorum Paſtorum; audire ſtudeant: nec poterunt illud omittere, quotieſcunque, à nobis, ad id fuerint requiſiti Hæc verò variorum Religioſorum Concordata produximus hoc fine, ut unuſquiſque clarè videre poſſit, quàm validum alicujus ad Miſſam Parochialem obligationis argumentum veriſimiliter eſſe poſſit illud, quòd peti & attendi poteſt, ex tam ſeria utrimq; ſtipulatione & conventione Regularium & Capitulorum, ut omnimodè caveatur frequentationi Parochialium Eccleſi-

clesiarum non solùm quo ad concionem sed etiam quo ad officium Missæ solemnis quæ est præcipuum omnium Parochiæ officiorum divinorum quæ in istis Regularium Concordatis tam advertenter & seriò commendantur.

Q. 41. An Regularium ex Clementina Privilegium possit militare contra debitum Missæ Parochialis in Parochia à populo audiendæ.

Resp. Quòd non, ut satis patuit in præcedentibus quæsitis. *Tum*, quod privilegia hæc habentur pro *Odiosis*, pro eo, quòd sint contra jus commune, cui derogant. Odia autem sunt restringenda, modô scilicet favoribus opposito, favores enim sunt ampliandi. Ex quo sequitur, quòd Privilegium Regularium in Bulla Clementis VIII. debeat restringi & in rigore terminorum strictissimè accipi. Ita ut non plus amplietur, nec extendatur contra jus Pastorum, quàm importent ipsi termini Bullæ in rigorosa sua significatione. At vero Privilegium supradictum quò ad Missas, non consistit nisi inhoc, quòd sit licitum & liberum populo audire Missas, apud Regulares. Verùm, quid est *Licitum*? nisi quod populus non peccat? *Quid Liberum*? nisi quòd audire possit, si velit. Ex his terminis liquet, nihil ex parte Regularium addi posse ad attrahendum populum ad se, cùm id termini Privilegii Bullæ non importent. Multo minus posse populum diver-

tere

tere à Miſſa Parochiali quocunq; modo & genere loquendi, aut concionandi: præſertim cùm eadem Bulla excipiat Miſſam Parochialem, contra quam loqui nullò modo poſſunt, cùm ècontra teneantur ex præcepto loqui prò ea: ut patet in calce Clementinæ.

Q. 42. An Pænitentibus ad Regulares Confeſſarios redeuntibus & ob auditam forte concionem de obligatione ad Parochiam, conquerentibus ſe in conſcientia ſua pœnam ſentire & turbari: rectè conſulatur eis, ſimiles conciones vitare, quæ plus turbant, quàm pacificent?

Reſp. Quòd non: Pæna enim iſta & perturbatio conſcientiæ non eſt mala ſed bona & ſalutaris: ſiquidem veluti eſt proprium ſpiritûs maligni initiô animam delectare & in fine contriſtare Jta proprium eſt boni ſpiritûs qui eſt Spiritus veritatis, peccatorem in principio contriſtare & ſancto timore concutere, ſed finaliter lætificare. *Gaudeo* dicebat Apoſtolus non quia contriſtati eſtis ſed quia contriſtati eſtis ad pænitentiam; quæ enim ſecundum Deum triſtitia eſt pænitentiam in ſalutem ſtabilem operatur; *ut verbo dixerim* qui non lubenter audit ſuam obligationem: ad illos pertinere videtur qui tunc dicebant ad ipsummet ſalvatorem noſtrum *loquere nobis placentia & audiemus te.* Ut potè quia durum eſt multum nimis valdè per omnē mo-

dum

dum renunciare; particularibus directorum affectionibus ad parendum supremo Christi Domini in terris Vicario ac omnium Fidelium Universali ac infallibili ad salutem certissimo Directori.

Q. 43. Quæ tandem Conclusio finalis harum aliquot concionum nostrarum in hujus Tractatus compendiosi formulam redactarum?

Resp. Conclusio est *Dignetur Dominus Deus pro sua immensa bonitate & misericordia speciali aliquo cælesti radio superiores & Principes* Ecclesiæ suæ illuminare: quo multiplicia derelictionis Ecclesiarum Parochialium incommoda penitius intelligere valeant: bene intellecta convenienter impedire. Dignetur Fideles omnes eâ quâ decet reverentiá & obedientiâ erga Sanctã sedem Romanam, suâ peculiari opitulante gratiâ, efficaciter afficere: quo alacri & Christiano Zelo frequentent Parochias suas sibi ab Ecclesiæ Christi spiritu distributas in quibus omnes illos tam magnos & varios spirituales fructus percipere possint qui supra enumerati fuêre. Dignetur quoq; me miserrimum peccatorem in numero servorum suorum recipere in bono usq; ad mortem Sanctam perseverantiam dare in Cælesti suo Regno locum indulgere, & Ecclesiam matrem meâm quam hic adhuc viatricem suspici, audiri, & in sacerrimis statutis

tutis ſuis à cunctis Chriſti fidelibus honorari, obediriq; ſatago tandem in cælis in omnes æternitates mirabiliter triumphnantem merear intueri.

APPENDIX.

De Obligátione Parochiani ad Communionem Paſchalem ſumendam.

Q. 1. Quê ætatis annô & quo tempore anni obligat præceptum Communionis.

Resp. 1. Pueri non obligantur ad ſumptionem Euchariſtiæ ante annos diſcretionis, ſed *quando jam pueri incipiunt aliqualem uſum rationis habere, ut poſſint devotionem concipere hujus Sacramenti, tunc poteſt eis, hoc Sacramentum conferri*: Jta D. Thom: 3. par: ;at. 9. ad 3. Porro pueri non tam citò obligantur ad Euchariſtiam quàm ad Confeſſionem. *Ratio* quia Euchariſtia eſt majoris dignitatis & minoris neceſſitatis, quàm Sacramentum Pænitentiæ, Ergo requirit majorem præparationem.

Resp. 2do *Juxta Canonem Concil: Lateranenſis* ſub Innocentio III. *Omnis utriuſq; ſexûs*, Omnes Fideles tenentur communicare in Paſchate, ſeu tempore Paſchali. de manu proprii Sacerdotis, præmiſſa Confeſſione, aliàs peccant mortaliter: & in pænam debent excommunicari, & ſepulturâ Eccleſiaſticâ privari.

Q. 2. Communio Paſchalis ubi peragenda eſt?

Reſp.

Resp. in propria Ecclesia Parochiali, & non extra. Ita Concil: Lateran. Et Ratio subjungitur quia justum est (ait Contenson) ut Christianus ibi suscipiat alimenta vitæ, ubi in Christo primùm vivere cæpit, nec Pastorem videretur agnoscere, qui ab eo pane vitæ pasci abnueret.

Dixi: *Communio Paschalis* quia ex devotione tempore Paschali, apud Religiosos communicare moderna praxis non improbat. Casus.

Sempronius Tempore Paschali communicat in Ecclesia Mendicantium. Q. An Communionem Paschalem possint Mendicantes in Ecclesiis non suis administrare Fidelibus absq; Parochi licentia?

Resp. Quòd non: Et si enim Communionem illam quæ voluntariè & ex devotione à Fidelibus suscipitur, possint tam in propriis, quam in alienis Ecclesiis administrare per privilegium Nicolai V. Sixti IV. & declaratione ac Extensione Leonis X. prout habetur in Compendio Privilegiorum *verbo Communicare*: attamen ad Communionem, quæ est de præcepto, dandam limitârunt semper ut id fieret in propriis Religiosorum Ecclesiis, & ideo qui extra Monasterium in aliena Ecclesia susciperet à Religioso Communionem in die Paschatis, nequaquam satisfaceret præcepto, & dictus Religiosus incideret in excommunicationem latam à Clem: V. *in c. Religiosi de Privilegiis.*

Q.

Q. 3. Si prævideatur impedimentum tempore Paschali, debet ne anticipari Communio? *affirmo* *Ratio* quia etiam Con. Trid. *sess:* 13. *Can.* 3. decernit. *Ad minus Paschate esse communicandum*, quibus verbis Conc: exprimit Ecclesiæ intentionem esse ut communio non differatur ultra tempus Paschale in memoriam Passionis & Resurrectionis Christi; sed prævidens impedimenta. & non præveniens, sciens & volens differt ultra, ergo peccat mortaliter nisi anticipet. Qui verò Communionem Paschálem intermisit, tenetur prima commoditate postea communicare, ita ut eò graviùs peccet, quò diutius differt *Ratio* quia qui statuto tempore non solvit quod debet, perhoc non deobligatur, sed potius termino solutionis elapso arctiùs tenetur & compellitur. Ergo.

Q. 4. Satisne sit præcepto Communionis Paschalis per Communionem sacrilegam Dico: Quòd non *Ratio* quia Communio sacrilega non est præcepta sed prohibita & Con: Later:. decernit: *Eucharistiam debere sumi ad minus in Paschate & quidem reverenter.*

Interim omnia quæ in hoc parvulo Tractatu continentur, censuræ judicioq; Ecclesiæ, toto corde submitto.

FINIS




ikiego nie z niebie iest usprawiedliwiaiąca kádżego człowieka przez poświęcenie Duszy iego, ieżeli przez łáskę sobie od Boga dáną c ... wierzyć co do wierzenia Kościoł poc ... co do czynienia nákázuie, chronić się te ... wieczną zákázuie kárą y zgubą życia; ... przod pokázuie się Swięta Wiárá nászá.

CZESC DRUG...

Swięta Wiárá nászá; bo náuka iey nic ... wszem wszystko dobre w sobie zá...





TA pospolicie Náuka iest dobra ... wszystkich stron Swięta nic w sobie złego niemaiąca, ktora 1. funduie się ná Práwie od Boga dánym, bo: *Práwo Páńskie* według Dáwida (x) *niepokálane iest.*

